*MASTER*
*NEGATIVE*
*NO. 93-81351-14*

*AUTHOR:*
KNAUER, WILHELM

*TITLE:*
DE LUCIANO MENIPPEO

*PLACE:*
HALIS SAXONUM

*DATE:*
1904

Master Negative #

93-81351-14

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

888L96
WZ9
v.1

Knauer, Wilhelm, 1879-
De Luciano Menippeo. Dissertatio inauguralis quam ... scripsit Wilhelmus Knauer ... Halis Saxonum, typis Wischani et Burkhardti, 1904.
66 p. 23 cm.

Bibliography: p.3.
Thesis, Halle.

Volume of pamphlets

51331

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5-7-93 INITIALS JAMES
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM


**Association for Information and Image Management**
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202












MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

# DE LUCIANO MENIPPEO.

DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE HALENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

**WILHELMUS KNAUER**
ERFORDIENSIS.

---

HALIS SAXONUM
TYPIS WISCHANI ET BURKHARDTI
MDCCCCIV.

AMICO CARISSIMO

**OSCARO BAHMANN**

BEROLINENSI.

## Tabula Argumenti.

## Exordium.

Fieri non posse ut, quae sit Menippi saturarum ratio, accuratius perspiciamus, H e n s e ineunte libello qui *Lucian und Menipp* inscribitur[1]), in quo opusculo quatenus Lucianus in saturis, quae *Μένιππος ἢ Νεκυομαντεία* et *Ἰκαρομένιππος ἢ Ὑπερνέφελος* inscribuntur, Menippum imitatus sit quaeritur, eo sentit, quod et inter Varronis fragmenta Lucianique scripta minores similitudines inveniantur et Varro Lucianusque Menippum imitati, non interpretati sint[2]). Quod Hense pressius angustiusque disseruit, mihi uberius paulo ac fusius explicare liceat. Qua luculenta Hensii dissertatione, in qua multa sunt de quibus fateor cum eruditissimo viro me dissentire, ut inquirerem commotus sum, in quibus scriptis et qua ratione Menippum cynicum sit secutus Lucianus. Qua in disquisitione me viam sane lubricam ingressum esse ipse minime

---

[1]) *Festschrift für Theodor Gomperz. Dargebracht zum 70. Geburtstage.* Wien 1902 p. 185 sqq.

[2]) l. c.: *Dass die lockende Aufgabe, mit Hilfe der Lucianischen Schriften ein deutlicheres Bild der Menippeischen Satiren zu gewinnen, bisher nur spärlichen Ertrag bot, hat zum Teil dieselben Gründe, warum der genaueren Übereinstimmungen zwischen den Trümmern der Varronischen Satiren und den Schriften Lucians sich verhältnismässig nur wenige bieten; denn jene Freiheit des imitari, non interpretari, welche sich Varro in seinen der Laune subjektiver Einfälle behaglich Raum gebenden, insbesondere auch römische Farben reichlich beimischenden Satiren gegenüber seinem Vorbild nahm, hat Lucian in nicht geringerem Grade für seine rasch hingeworfene und auf Unterhaltung abzielende Schriftstellerei in Anspruch genommen.*

ignoro. Quamvis verum sit, quod Hense ineunte illa dissertatione exponit, ex Varronis saturis Menippeis parum certe intellegi posse, quantopere Menippus a Luciano expressus sit, tamen alia via ad finem me perventurum esse spero.

Lucianum ex Menippo hausisse inter omnes constat; ipse imitatorem Menippi se profitetur. In dialogo qui inscribitur *Ἁλιεὺς ἢ Ἀναβιοῦντες*, in quo philosophi introducuntur a Luciano petituri poenas iniuriarum illatarum, Diogenes causam eorum persequens cum multa alia crimina profert, tum in § 26 haec verba addit: *καὶ τὸ πάντων δεινότατον, ὅτι ταῦτα ποιῶν καὶ ὑπό τὸ σὸν ὄνομα, ὦ Φιλοσοφία, ὑποδύεται καὶ ὑπελθὼν τὸν Διάλογον ἡμέτερον οἰκεῖον ὄντα, τούτῳ ξυναγωνιστῇ καὶ ὑποκριτῇ χρῆται καθ᾿ ἡμῶν, ἔτι καὶ Μένιππον ἀναπείσας ἑταῖρον ἡμῶν ἄνδρα ξυγκωμῳδεῖν αὐτῷ τὰ πολλά, ὃς μόνος οὐ πάρεστιν οὐδὲ κατηγορεῖ μεθ᾿ ἡμῶν, προδοὺς τὸ κοινόν.* Ex hoc loco Lucianum in lacerandis philosophis Menippum cynicum imitatum esse elucet. Alter locus atque is magis perspicuus invenitur in dialogo *Δὶς κατηγορούμενος* inscripto, ubi in § 33 Dialogus Lucianum arguit, quod se ad vulgi consuetudinem detruserit, tragica modestaque persona detracta aliam comicam satiricamque sibi imposuerit. Dialogi verba sunt haec: . . . . *καὶ τὸ μὲν τραγικὸν ἐκεῖνο καὶ σωφρονικὸν προσωπεῖον ἀφεῖλέ μου, κωμικὸν δὲ καὶ σατυρικὸν ἄλλο ἐπέθηκέ μοι καὶ μικροῦ δεῖ γελοῖον . . . . . τελευταῖον δὲ καὶ Μένιππόν τινα τῶν παλαιῶν κυνῶν μάλα ὑλακτικὸν ὡς δοκεῖ καὶ κάρχαρον ἀνορύξας καὶ τοῦτον ἐπεισήγαγέ μοι φοβερόν τινα ὡς ἀληθῶς κύνα καὶ τὸ δῆγμα λαθρίδιον, ὅσῳ καὶ γελῶν ἅμα ἔδακνε.* Ex his quoque verbis Menippum a Luciano expressum esse luce est clarius, praesertim cum voce *ἀνορύξας* se saturas Menippeas ita, ut illius cynici aetate erant, rursus in lucem protulisse ostendere videatur Lucianus. Iam ex eo apparet Lucianum illas Menippi saturas non magnopere commutasse.



Quatenus igitur et in quibus scriptis illo cynico philosopho usus sit, explicare mihi propositum est.[1])

---

[1]) De Menippi vita scriptisque referre minime necesse esse puto. Uberius de eis rebus egerunt:
*Ley, de vita scriptisque Menippi cynici* 1843.
*Oehler, M. Ter. Varr. sat. Menipp. reliquiae* 1844 p. 21 sqq.
*C. Wachsmuth, de Tim. Phlias. ceter. sillogr. Graec.* 1859; ed. alt. 1885 in *fasc. alt. corpusc. poes. gr. epic. lud.* p. 78 sqq.
*Riese, Varr. sat. Menipp. rel. proleg.* p. 8. 1865.
*F. V. Fritzsche, de script. satir. poes. spec.* III. IV. V. (ind. lect. Rostoch. 1865/66) et *proleg. ad Luc.* p. XXXVII t. II².
*Wasmansdorf, Luciani scripta ea quae ad Menippum spectant* . . . diss. Jen. 1874.
*Th. Fritzsche, Menipp und Horaz* 1871 p. 7 sqq.
*Wildenow, de Menippo cynico* diss. Hal, 1881.

---

# I.

Luciani scripta Menippea quae dicuntur ex Menippi saturis esse deprompta iam ex eo intellegitur, quod scriptor Samosatensis in compluribus saturis Menippum ipsum loquentem facit[1]). Saepissime Menippi persona in Luciani Dialogis Mortuorum procedit. Quorum dialogorum cum in primo Menippi mentio fiat — Diogenes enim Pollucem in vitam redeuntem a Menippo petere iubet, ut, postquam ibi satis, quae gerantur, deriserit, ad inferos veniat multo plura irrisurus —, Lucianus cynicum Gadarensem in undecim dialogis non solum dicentem, sed etiam primas partes agentem inducit.

Unde igitur ordiri rectius possum quam a describenda persona Menippi, qualis ex his dialogis intellegitur.

Menippus cynici ordinis est; ut omittam eum a Diogene (I, 1), a Croeso (II, 1), a Charone (XII, 3) in canibus poni, Menippus ipse satis aperte indicat in dial. mort. XXI, 1, ubi iocosa et cynica ratione se canem appellat; hoc loco ad Cerberum custodem portae infernalis *συγγενὴς γάρ*, inquit, *εἰμί σοι, κύων καὶ αὐτὸς ὤν*.

Habitus Menippi a Diogene cynico in primo dialogo optime describitur hisce verbis: *γέρων, φαλακρός, τριβώνιον ἔχων πολύθυρον, ἅπαντι ἀνέμῳ ἀναπεπταμένον καὶ ταῖς ἐπιπτυχαῖς τῶν ῥακίων ποικίλον.* Instar Antisthenis atque Diogenis fert baculum.

Huic habitus inopiae atque indigentiae, quam prae se fert Menippus, respondet eius maxima paupertas. Ne

[1]) Oehler p. 32: *Nec fugere quemquam potest, non temere tam crebro esse Lucianum nec proinde ut ceteris persona Menippi usum.*



obolus quidem ei est, ut portorium Charoni reddere possit; satirico modo Charoni, qui hoc aegre fert, *οὐκ ἂν λάβοις*, inquit, *παρὰ τοῦ μὴ ἔχοντος*. Nihilominus Menippus contentus sorte sua et hac vitae ratione, qua, quod Graeci *αὐτάρκειαν* appellant, petitur, ignarus est omnium cupiditatum; hanc vitae consuetudinem probat Menippus ipse exeunte dialogo XXVI, cum dicit: *ἀγαπᾶν τοῖς παροῦσι καὶ μηδὲν αὐτῶν ἀφόρητον οἴεσθαι.*

Tria irridendi genera ex Dialogis Mortuorum cognosci possunt. Primum Menippus tyrannos atque divites mordacissimis salibus lacerat. Ut super terra omnia deriserit, ita etiam apud inferos satrapes, tyrannos, divites, quippe qui post mortem ignoti, informes, imbecilli sint, mordere non veretur (I, 1). Plutoni, qui a Croeso querente invocatus Menippum ad rationem deridendi reddendam vocat, respondet cynicus Gadarensis (II, 1): *μισῶ .... αὐτοὺς ἀγεννεῖς καὶ ὀλεθρίους ὄντας, οἷς οὐκ ἀπέχρησε βιῶναι κακῶς, ἀλλὰ καὶ ἀποθανόντες ἔτι μέμνηνται καὶ περιέχονται τῶν ἄνω· χαίρω τοιγαροῦν ἀνιῶν αὐτούς.* Quin etiam eos qui queruntur in aeternum se castigaturum esse minatur (II, 2): *ἔνθα γὰρ ἂν ἴητε, ἀκολουθήσω ἀνιῶν καὶ κατᾴδων καὶ καταγελῶν . . . . ἐγὼ δὲ τὸ γνῶθι σαυτὸν πολλάκις συνείρων ἐπᾴσομαι ὑμῖν.*

Praeter tyrannos et divites etiam philosophos risui omnium tradit. Lucianus Menippum (I, 2) *γελῶντα ἀεὶ καὶ πολλὰ τοὺς ἀλαζόνας φιλοσόφους ἐπισκώπτοντα* inducit. Nulli harum disciplinarum ab irrisore parcitur. Mirandum est Menippum in Dialogis Mortuorum non doctrinas praeceptaque philosophorum irridere, sed plerumque vel habitum speciemque vel res quae ad vitam eorum pertinent illudere. Id maxime ex XX. dialogo intellegitur, ubi Menippus, postquam ad inferos venit, ut sibi philosophos ostendat, ab Aeaco petit. Deinde Pythagoram propter aureum femur fabasque vetitas vituperat; Empedocles, qui semicoctus advenerit, obiurgatur, quod vanae gloriae et superbiae causa in Aetnae crateras se im-

miserit; Plato Siculos tyrannos colere didicit; Socrati ludibrio vertitur, quod pulchros pueros non despiciat. Praeter omnes Menippus Socratem etiam in XXI. dialogo maledico dente carpit; eum subdolum hominem sophistam appellat, quem minime libenter in orcum intravisse Cerberus Menippum certiorem facit.

Propter hoc cavillandi genus, quod ad res leves tantum pertinet, quin Dialogis Mortuorum multa Lucianea inesse credam facere non possum. Lucianus, quem nunquam philosophum fuisse his temporibus inter omnes constat, levioribus rebus nimis inhaerebat, id quod cum temporibus Luciani parum subtilibus et corruptis moribus illius aetatis, tum eiusdem scriptoris minimo ingenio explicandum est. Itaque si Lucianus Menippi Necyia commotus est, ut Dialogos Mortuorum componeret — id ita esse infra explicabo —, facile intellegi potest Lucianum, quem in componendis Dialogis Mortuorum certiora exempla deficerent, philosophiae parum se peritum esse eo ostendisse, quod vitae consuetudinibusque modo philosophorum deridendis operam navabat; huc accedit, quod huiusmodi descriptio, quae in rebus externis modo explicandis versatur, maximam irridendi facultatem praebebat Luciano.

Attamen transeamus ad tertium argumentum saturae Menippeae, quod ex Dialogis Mortuorum cernitur. Etiam deos et religionem popularem Menippus irridet. Insultat aequalium ineptissimis sententiis, quas de rebus inferis sibi finxerant. In dialogo XXII. ludit pretium, quod pro traiectu in Orcum solvendum est; in dialogo XXVI. acerbe cavillatur Chironem, qui, postquam vitae divinae eum piguit, commutationis causa Orcum adit; in XXVIII. dialogo de Tiresia propter eius duplicem formam — nam Tiresiae quod mas et femina fuerit ludibrio vertit — in scurrilibus iocis versatur. Praeterea oracula (III), Tantalum (XVII), Charonem (XXII), Aeacum, multos alios



in ludibrium vocat. Longum est omnia in hanc rem exempla afferre.

Timorem mortis minime novisse Menippum ex eo apparet, quod propter taedium rerum humanarum sibi ipse manus intulit. Lucianus (X, 11) haec verba Menippum facientem inducit: *ἔσπευσα ἐπὶ θάνατον καλέσαντος μηδενός*. Alio loco (XXI, 2) Diogenem et Menippum solos *μὴ ἀναγκαζομένους μηδ' ὠθουμένους, ἀλλ' ἐθελουσίους* in orcum descendisse Cerberus affirmat.

Talem igitur Menippum ex Luciani Dialogis Mortuorum cognoscimus. Nihil obstat, quominus Menippi personam a Luciano vere pictam esse putemus.

Priusquam ad liquidum perducam, ex quibus fontibus — ut ita dicam — Dialogi Mortuorum fluxerint, restat, ut de Menippi forma scribendi breviter disseram.

Menippum saturas scripsisse notum est. Natura saturae consistit in eo, quod Graeci voce *σπουδογέλοιον*[1]) apte significant; in eiusmodi satura iocus atque seria ita sunt coniuncta, ut per iocum seria tractari solent.[2]) Quod scribendi genus a cynicis philosophis, qui de moribus egerunt, tertii a. Chr. n. saeculi inventum est.[3])

Cratetem Thebanum versibus hexametris usum *παίγνια* scripsisse tradit memoriae Diogenes Laertius, VI, 82; quae *παίγνια* erant versus iocosi, quibus seria iocosaque lepide permiscebantur. Quo magis valerent hae saturae, quibus Crates ceteros philosophos momordit, versibus parodiae Homericae erant insertae.

Licentiam quandam in consuetudine novanda Bion

---

[1]) Strabo XVI, 759; Demetrius *περὶ ἑρμ.* p. 170; Wachsmuth, *sill. gr.*[2] p. 66; Birt, *Zwei politische Satiren des alten Rom,* 1888 p. 7.

[2]) Horaz, *sat.* I, 1,24: *ridendo dicere verum.*

[3]) Initia huius generis scribendi iam apud Platonem inveniuntur; cf. exempli gratia eius *Euthydemum.* Sed cum apud Platonem eiusmodi loci rariores sint, cynici in *τὸ σπουδογέλοιον* omne studium transtulerunt; cf. Hirzel, *Der Dialog* 1895, I, 385.

Cratetis discipulus sibi sumpsit eo, quod in suis orationibus, quae *διατριβαί* appellantur, prosa oratione utebatur. Eratosthenes apud Diogenem Laertium IV, 52 ita de homine ingenioso iudicat, ut eum omnium primum philosophiam versicolore elocutione floridaque veste vestivisse dicat.[1]) Praeter parodias eius genus dicendi iocorum atque annominationum plenum fuisse ex Diogene Laertio IV, 47 sqq., ubi permulta eiusmodi ioca afferuntur, elucet.

Venio nunc ad Menippum. Qui generibus scribendi et Cratetis et Bionis coniunctis novum sermonem induxit; conscripti sunt eius libri prosa oratione versibus immixtis. Hoc illud est, quod Dialogus in Bis. accus. (c. 33 fin.) de Menippi genere scribendi dicit hisce verbis: *τὸ γὰρ πάντων ἀτοπώτατον, κρᾶσίν τινα παράδοξον κέκραμαι καὶ οὔτε πεζός εἰμι οὔτ' ἐπὶ τῶν μέτρων βέβηκα, ἀλλὰ ἱπποκενταύρου δίκην σύνθετόν τι καὶ ξένον φάσμα τοῖς ἀκούουσι δοκῶ.* Praeter hoc Luciani testimonium Menippi forma saturarum ex Varronis, qui prosa oratione immixtis versibus, parodiis, facetiis utebatur[2]), scriptis Menippeis potest intellegi. Varro enim, ut ipse apud Ciceronem[3]) dicit, Menippum imitatus, non interpretatus est; huc accedit, quod ipse apud Gell. II, 18,7 saturas suas Menippeas appellat. Etiam ab aliis propter similitudinem, quae inter eum Menippeumque intercedit, Menippeus sive *Μενίππειος* appellatur.[4])

Ex his omnibus sequitur, ut Menippus usus sit dicendi genere quodam, quod prosa oratione versibus mixta[5]) vitia maxime philosophorum perstringebat. Eum etiam dialogos satiricos scripsisse, ex eo cernitur, quod in

---

[1] *πρῶτος Βίων τὴν φιλοσοφίαν ἀνθινὰ ἐνέδυσεν.*

[2]) Probus ad Verg. Ecl. VI, 31: *omnigeno carmine satiras suas expoliverat.*

[3]) *acad. post.* I, 2,8.

[4]) Athen. IV, 160 c; Arnob. *adv. gent.* 6,23; Symmach. *epist.* 2,17; Diomed. p. 371; Charis. p. 118; Eutych. p. 2168.

[5]) Wachsmuth, l. c. p. 80; Menippum maxime parodiis Homericis Euripideisque usum esse, iam Casaub. *satyr. poes.* p. 206 vidit. Cf. etiam Welcker, *praef. Theogn.* p. XCIII, adn. 141.



scriptis, quae Diog. Laert. VI, 101 enumerat, etiam *Συμπόσιον* versatur; ratio autem conviviorum erat fere ea, ut ii, qui convivio intererant, de materia quadam disputantes inducerentur.

Haec habui, quae de Menippi et vita moribusque, quales ex Luciani Dialogis Mortuorum cognoscuntur, et de eiusdem scribendi genere dissererem; haec sufficere ad eam quam mihi proposui quaestionem diiudicandam puto.

Ex omnibus quae supra dixi sequitur, ut, in quibus Luciani scriptis satiricis et dicendi genus Menippeum et sententiae Menippeae in scurrilibus iocis de tyrannis, divitibus, philosophis, deis versantes inveniuntur, vestigia imitationis Menippeae agnoscere liceat; id eo verisimilius fit, ubi praeter haec argumenta etiam Menippus verba faciens inducitur. Dubitari nequit, quin Lucianus, cum Menippum loquentem facit, quid cynicus tertii a. Chr. n. saeculi senserit, nos docere sibi proposuerit. Lucianum has Menippi sententias ex Menippi scriptis deprompsisse non habemus, cur negemus. Eo accedit, quod et Varro, ut supra demonstravi, Menippum imitatus est et cynicum Gadarensem ab Horatio expressum esse constat.

Theod. Fritzsche (l. c.), Herm. Fritzsche,[1]) Mart. Hertz[2]) et Horatium et Lucianum Menippi scriptis usos esse putant, cum A. Heinrich[3]) Lucianum ex Horatio hausisse ostendere studeat; contra Heinrichii opusculum inquirit A. Baar.[4]) Rowe[5]) Horatium Menippo usum non esse pro certo dici posse negat. Quod Rowe explicat, omnes similitudines, quae inter Varronem Lucianumque et Horatium intercedant, non ad Menippum revocari opus esse, cum unaquaeque etiam alio modo explicari

---

[1]) in *praef. ad Hor. sat.*

[2]) *analecta ad carm. Hor. hist.* III, p. 7. 1879.

[3]) *Lucian und Horaz,* progr. Graz 1885.

[4]) *Zeitschrift für das öster. Gymn.* XXXVII, p. 230/1.

[5]) *Quaeritur quo iure Horatius in saturis Menippum imitatus esse dicatur;* diss. Hal. 1888.

possit, tamen has similitudines alio modo — ut Rowe vult — explicandas esse minime puto. Equidem in pleraque, utrum Menippus expressus sit necne, pro certo explorare difficillimum puto; id eo fit, quod primum Menippi praeter perpauca fragmenta tituli scriptorum atque ii non omnes exstant, tum quod Varronis quoque reliquiae fragmentaque modo ad nos venerunt, deinde quod Horatius simili modo quo etiam Varro id, quod ex Graecis fontibus hausit, ad res Romanas transtulit, denique, quod Lucianus, ut infra explicabitur, Menippum non ad verbum expressit, sed dispositiones, orationum argumenta et sententias modo ex eius scriptis deprompsit. Equidem puto etiam Horatium Menippo usum esse etiamsi non eodem modo ac Varronem et Lucianum. Ac ne haec quae disputavi ex meo potius sensu quam ex veritate expressa videantur, infra exempla nonnulla in medium proferam, quae rem, de qua disputatur, plane sub oculos subiciant.

Itaque cum et inter Lucianum Varronemque et inter Lucianum Horatiumque similitudines inveniantur, Menippum auctorem communem esse verisimile est.

Huc accedit, quod si quando eadem Menippi cynici sententia in pluribus Luciani dialogis legitur, Lucianum illo usum esse verisimilius fit. Hoc loco quis est cui non occurrat, quantopere cum de aliis rebus tum de sententiis Menippeis congruant Luciani Dialogi Mortuorum cum eiusdem Necyomantia?[1])

Primum Menippi persona, ut praeter collegam Diogenem in Dialogis Mortuorum primas partes agit, ita etiam in Necyomantia ea est, per quam res maxime geritur. Menippus, cum *ὁδὸν ἁπλῆν καὶ βέβαιον τοῦ βίου*

[1]) Solanus (*ed. Bip.* III, p. 392), Fr. Jacobs (*Appendix ad Rich. Pors. adv.* ed. Lips. p. 288), Lehmann (*ed. Luc.* 1828, III, p. 372 sqq.) Wieland, num Necyomantia Menippi sit, dubitant, defendunt Hemsterhuis, Fritzsche, Dindorf, Sommerbrodt in editionibus. De hac re uberius egit Wasmansdorf l. c. Praeterea etiam cf. Hense l. c. p. 195.



discere cupiat, ut Tiresiam vatem sapientem consulat, ad inferos descendit. Videmus igitur et in Dialogis Mortuorum et in Necyomantia Menippum apud inferos versari; quod cynicae rationi plane respondere, dicit Ettich[1]): *Ac si Cynicus quidem — quod probabile est — philosophis suis carminibus Orcum primus scaenam tribuerit, non temere id quidem accidisse censuerim. Quorum enim magis interesse poterat Orcum eligere quam Cynicorum? Cum virtutis Cynicae in Orco praeclare gloria perspici posset, in quo omnium rerum inopia esset, unà carendi ars — in quo fuco famaque liberi quales erant omnes apparerent! Hoc certe Lucianus Cynicae disciplinae per tempus aemulator bene perspexit.*

Praeter Menippi personam in Orco versantem etiam alias similitudines permultas in utroque scripto inveniri neminem effugere potest. Quarum nonnullas attulit iam E. Weber;[2]) hic primum dial. mort. XX, 2,6 cum Nec. 12, ubi tyranni a Diogene et Menippo irridentur, comparat. Ne Croesi quidem divitias ad hominum felicitatem quidquam valere secundi loci gemelli a Webero allati docent. In dial. mort. II, 1 Menippus ridet querentes (*οἰμώζομεν*) et quae supra amiserunt (*ἐκείνων μεμνημένοι τῶν ἄνω*) reminiscentes; interdum etiam cantando (*ᾄδων*) gemitus miserorum obturbare Menippum (*ἐπιταράττει ἡμῶν τὰς οἰμωγάς*) Croesus queritur. Simili modo divites in Nec. 18 in ludibrium vocantur; hic Diogenem divites, cum audiat plorantes (*ἀκούων δὲ οἰμωζόντων*) pristinamque fortunam animo remetientes (*τὴν παλαιὰν τύχην ἀναμετρουμένων*) irridere (*γελᾷ*), tum plurimum recumbentem cantare (*ᾄδει*) et eiulatus eorum abscondere (*τὰς οἰμωγὰς αὐτῶν ἐπικαλύπτων*) Menippus narrat. Dictionis similitudinem magis esse apertam quam ut non ad comparandum evocet, nemo est qui neget. Etiam personae quae illuduntur

[1]) *Acheruntica*, in *Leipziger Stud.* 1891 p. 319.

[2]) *De Dione Chrysostomo Cynicorum sectatore*, in *Leipziger Stud.* X, 93.

utroque loco sunt eaedem; cum in Nec. (l. c.) Sardanapalus et Midas mordeantur, in dial. mort. (l. c.) Croesus causam querentium persequens additur. Etiamsi in dial. mort. Menippus, Diogenes in Nec. partes irrisoris agunt, tamen id mea quidem sententia nihil valet. Pari modo Nec. 15 plenum est locorum, qui Dialogos Mortuorum cum Necyomantia quodammodo cohaerere admonent. Ut divitiae sic etiam pulchritudo, quae est apud superos maximi pretii, in orco magni aestimari desita est; post mortem pulchritudine sublata omnes homines sunt pares. *Ὀστᾶ μόνα ὁρῶ*, inquit Menippus in dial. mort. XVIII, 1 *καὶ κρανία τῶν σαρκῶν γυμνά, ὅμοια τὰ πολλά.* Similiter dictum est in Nec. 15: *ἅπαντες γὰρ ἀτεχνῶς ἀλλήλοις γίγνονται ὅμοιοι τῶν ὀστῶν γεγυμνωμένων.*

Ut vitam cupiditatesque divitum potentiumque hominum vituperari simili modo et in Dialogis Mortuorum et in Necyomantia intelleximus, sic in utroque scripto vita, quae est divitum potentiumque opposita, privatorum hominum, qui sorte sua contenti vanas glorias, cupiditates caducas aspernantur, collaudatur. Quod in XXVI. dialogo mort. Menippus Charoni suadet *ἀγαπᾶν τοῖς παροῦσιν καὶ μηδὲν αὐτῶν ἀφόρητον οἴεσθαι*, in Nec. 21 per Tiresiam fusius exprimitur hisce verbis: *Ὁ τῶν ἰδιωτῶν ἄριστος βίος καὶ σωφρονέστερος · ὡς τῆς ἀφροσύνης παυσάμενος τοῦ μετεωρολογεῖν καὶ τέλη καὶ ἀρχὰς ἐπισκοπεῖν καὶ καταπτύσας τῶν σοφῶν τούτων συλλογισμῶν καὶ τὰ τοιαῦτα λῆρον ἡγησάμενος τοῦτο μόνον ἐξ ἅπαντος θηράσῃ, ὅπως τὸ παρὸν εὖ θέμενος παραδράμῃς γελῶν τὰ πολλὰ καὶ περὶ μηδὲν ἐσπουδακώς.* Hac vivendi ratione mortis timore liberi cum diem snpremum obire coguntur vitae peractae minime piget cynicos non querentes opes amissas fortunasque perditas (dial. mort. XXI, 2 et Nec. 18).

Eodem modo, quo tyrannos divitesque obiurgari supra demonstratum est, etiam in utroque scripto omnium risui traduntur philosophi. In Dialogo Mort. XX, 4 et in Nec. 18 mentio fit Socratis, qui cum Nestore et Pala-



mede — in Necyomantia etiam Ulixes apud eos versatur — disserit; cupiditatem loquendi Socrati ludibrio vertere Menippus studet; in eo negiegendae non sunt voces, quibus Lucianus hoc Socratis vitium lacerat; in dial. mort. XX, 4 Aeacus *Μετὰ Νέστορος*, inquit, *καὶ Παλαμήδους ἐκεῖνος ληρεῖ τὰ πολλά;* in Nec. 18 quamquam Socrates primo inducitur *διελέγχων ἅπαντας*, tamen vocem *διελέγχων* in malam partem esse intellegendam ex eo cognoscitur, quod viri, qui cum Socrate colloquuntur, loquaces a Luciano appellantur, quo fit, ut etiam Socrates in numero garrulorum hominum sit ponendus. Verba sunt haec: *σύνεισι δ' αὐτῷ Παλαμήδης καὶ Ὀδυσσεὺς καὶ Νέστωρ καὶ εἴ τις ἄλλος λάλος νεκρός.* Quantae sint similitudines, quae inter Necyomantiam et Dialogos Mortuorum atque eorum vicesimum inveniuntur, etiam Wieland admonet.[1])

Quibus igitur expositis Menippum et in tyrannorum, divitum, philosophorum ludibrio versatum esse et tertii saeculi philosophos qui de moribus egerunt cynicos secutum vitam privatam cupiditatibusque alienam collaudavisse conicimus. Dialogis, in quibus primas partes agit Menippus, cynicis Menippeas sententias inesse, id quod eo verisimilius fiat, quod eadem sententia in pluribus dialogis versetur, recte censet Hense.[2])

---

[1]) *Luciani versio* II, p. 352 adn. 23: *In dieser ganzen Erzählung dessen, was dieser Pseudomenippus (?) im Totenreiche gesehen haben will, wimmelt es von Einfällen, Bildern und Ausdrücken, die in den Totengesprächen vorkommen. Man sehe zur Probe nur das zwanzigste derselben nach.*

[2]) p. 186: *Es bleibt immer die natürlichste Annahme, dass unter den kynisch gefärbten Dialogen Lucians diejenigen, in welchen Menippus die Hauptperson ist, auch am ehesten einen Abglanz Menippeischer Anschauungsweise bewahrt haben werden. Und die Vermutung gewinnt an Wahrscheinlichkeit, wenn der nämliche Gedanke dem berühmten Kyniker in mehr als einem Dialoge, beispielsweise in den Totengesprächen und in der Nekyomantie in den*

Praeter genus satiricum, quod Necyomantiae inesse ex eis quae supra explicavi intellegi potest, etiam comparationes, quae cum Cynicorum arte coniunctae erant[1]), in Necyomantia inveniuntur, ut Menippo, quem etiam in comparationibus componendis cynicos vetustiores secutus esse non est cur negemus, Lucianum esse usum appareat.

Prima parte capitis XVI. Necyomantiae hominum vita pompae cuiusdam longae similitudinem habere Menippus dicit, administrare vero atque ordinare singula Fortunam diversos et varios eis qui pompam ducant habitus attribuentem. Verum ubi pompae tempus praeterierit, tum omnes reddito ornatu exutoque habitu cum corpore, quales erant ante, fiant, nihil ab aliis quibuslibet diversi. Comparationem igitur persimilem, ubi eadem Fortuna vitam hominum dirigit, apud Teletem[2]) legimus: *Ἡ τύχη ὥσπερ ποιήτριά τις οὖσα παντοδαπὰ ποιεῖ πρόσωπα, ναυαγοῦ, πτωχοῦ, φυγάδος, ἐνδόξου, ἀδόξου.* Ut in Necyomantia sic etiam apud Teletem Fortuna, quae hominibus in vita sunt agenda, distribuit. Qua ex similitudine hanc comparationem etiamsi paululum mutatam a Menippo ad Teletem transisse verisimile est.[3])

Saepius et apud alios cynicos et in Luciani scriptis[4]) hominum vita cum actoribus comparatur; quam comparationem etiam Necyomantiae capite XVI exeunte legimus. Homines similes sunt tragicis, qui, prout usus fabularum poscit, nunc Creontes, alias Priami fiunt aut

---

*Mund gelegt wird. Man hat keinen Grund anzunehmen, dass Lucian sich darin gefallen habe, seinen grossen Vorgänger gar wiederholt für Anschauungen verantwortlich zu machen, welche demselben in Wirklichkeit fremd waren.*

[1]) E. Weber, *De Dione Chrysostomo* (*Leipz. Stud.* X, p. 173 ff. 188). Dümmler, *Academica* 1888 p. 88.

[2]) *ed. Hense* p. 40, 2.

[3]) Similem in modum Teles (Hense 10, 13) vitam comparat cum contione festiva.

[4]) Icar. 29; Pisc. 32; Navig. 46.



Agamemnones: idemque si forte qui paulo ante valde Cecropis aut Erechthei personam sustinuit, confestim servus prodire solet a poeta iussus: at finito iam dramate cum exuerit eorum quisque auro sparsam illam vestem, personam posuerit et descenderit a cothurnis, pauper et humilis ambulat. Eiusdem comparationis auctorem Teles[1]) Bionem nominat; quam comparationem ex Bionis scriptis ad Lucianum per Menippum pervenisse explicavit Dümmler.[2])

Remotis hisce omnibus Lucianum in Necyomantia Menippo usum esse etiam dictione probatur. Menippus ut in suis scriptis sic etiam Luciani Necyomantia atque imprimis in eius initio versibus utitur ex Euripide et Homero detortis. Id quin propterea factum sit a Luciano, ut artem Menippi exprimat simul ac traducat, nemo dubitabit.[3])

Ad haec argumenta accedit, quod Luciani Necyomantia cum Horatii satura II, 5 magnopere congruit, id quod praeter ceteros etiam Hense animadvertit.[4]) Nec vero probanda est sententia Heinrichii, qui Luciani Necyomantiae et Horatii saturae argumentum atque compositiones plane diversa esse censet[5]); id esse falsum infra videbimus.

---

[1]) *ed. Hense* p. 3,2.

[2]) *Academica* p. 5 sqq.

[3]) Casaub. II, 206; F. Fritzsche, *Luc. rec.* III, pars II 1882 p. LVI.

[4]) p. 193: *Deutlicher noch wird das Bild, wenn wir uns auf den Standpunkt Hermann Fritzsches stellen, der Lucians Schrift mit Hor. Sat. II, 5 kombinierte.* (Item Rohde, *der griech. Roman* ²280 A; Kiessling *ad Hor. sat.* II, 5; R. Heinze, *De Hor. Bionis im.* p. 8: Dieterich *Νέκυια* p. 142, 1; Hirzel I, 386).

[5]) p. 10: *Wenn man unter den Schriften des Menipp bei Diog. Laert. VI, 101 eine Necyia angeführt findet, führt man leicht Horazens Tiresiassatire darauf zurück. Wäre*

Primum quod attinet ad compositionem, quae in Horatii satura et in Luciani Necyomantia cernitur, apud Horatium Ulixes, Menippus apud Lucianum in Orco versantur, ut Tiresiam consulant. Id quamvis minoris momenti esse concedam, praesertim cum apud veteres Tiresias saepius consultatus sit[1]), tamen, cum etiam in dial. mort. XXVIII (i. e. in scripto Menippeo) Menippus cum Tiresia colloquatur, facere non possum, quin iam in Menippi satura sermonem cum Tiresia habitum fuisse agnoscam.

Horatii saturae compositionem ex Menippo esse exhaustam censent cum alii tum Kiessling[2]) et Dieterich.[3]) Atque quo planius intellegi possit Horatium Lucianumque ad communem auctorem esse revocandos, hanc quoque similitudinem respicias: Initio saturae Horatianae Ulixes,

---

*dies richtig, so müsste man in Lucians Μένιππος ἢ Νεκυομαντεία, die, wie allgemein angenommen wird, unter dem Einflusse Menipps entstanden ist, irgend welche Ähnlichkeiten entdecken können. Aber gerade hier findet sich nicht das Geringste. Ja Inhalt und Anlage sind ganz verschieden.*

[1]) Apud Sophoclem iterum ac saepius, praeterea apud Pind. Nem. I, 60; Theokr. XXIV, 64.

[2]) Ad sat. II, 5: *Schwerlich hat Lucian diese Einkleidung frei erfunden, sondern nach Fritzsches wahrscheinlicher Vermutung den Anlass dazu einer eigenen Dichtung des Menippus entnommen, derselben (seiner Νέκυια Diog. VI, 101), welche auch Horaz den boshaften Gedanken eingegeben hat, das eine der stoischen Ideale wahrhaft weiser Lebensführung, den alten Odysseus . . . , von Tiresias in die Technik der modernen Erbschleicherei als der besten Art, sein heruntergekommenes Hauswesen wieder in die Höhe zu bringen, einweihen zu lassen.*

[3]) p. 142, 1: *Bekanntlich ist es sehr wahrscheinlich, dass Horatius in der 5. Satire des 2. Buches, wenigstens was die Einkleidung betrifft, die Nekyia des Menippus benutzt hat.*



postquam a Tiresia petivit, quibus artibus atque modis amissas res reparare possit, sibi respondeat, pergit: quid rides? Ut Tiresias Ulixem precantem irridet, sic etiam apud Lucianum idem ridet. In Nec. 21 Tiresiam Menippus adit eumque vix supplex rogavit ut sibi exponat, qualem tandem ducat optimam vitam, cum Tiresias risum tollit. Quae similitudo evidentior est quam ut non ad comparandum evocet neque et Lucianum et Horatium a communi fonte pendere ostendat.[1])

Ex eis quae supra disserui similibus Dialogos Mortuorum saepissime cum Necyomantia, hanc saturam cum Hor. sat. II, 5 consentire intelleximus.

Lucianum in Necyomantia componenda Menippi Νεκυίᾳ usum esse his temporibus ab omnibus conceditur. Horatii satura, quippe quae cum Luciani Necyomantia magnas similitudines habeat, a Menippo pendere verisimile est.[2])

Quae in Menippi Necyia scripta fuerint, Diogenes Laertius non tradit. Cum inter Luciani Dialogos Mortuorum et Necyomantiam permultae similitudines intercedant, ex eodem fonte Menippeo utramque saturam fluxisse puto; etiam Dialogorum Mortuorum exemplum fuisse Menippi Necyiam arbitror. Id certe in eos mortuorum dialogos cadit, in quibus et Menippus loquens inducitur et sententiae Menippeae proferuntur. Ceterorum

---

[1]) Omnes similitudines artem hereditates captandi spectantes, quae inter Horatium et Lucianum inveniuntur (H. Fritzsche, *Hor. Sat.* 1875 I, p. 33), ut ex Menippi scriptis fluxerint fieri non potest; captatorum enim studium Menippea aetate nondum exstitit, sed apud Romanos demum aetate imperatorum maxime florebat (Cic. *de off.* III, 18,74; Hor. *epist.* I, 1.78; Juv. XII, 98).

[2]) Recte adnotat Hense p. 193: *Da eine Benutzung des Horaz durch Lucian wenig wahrscheinlich ist (vgl. R. Heinze p. 13), so erklärt sich diese Übereinstimmung am natürlichsten durch die Annahme, dass beide, Horaz und Lucian, durch die Nekyia des Menippus beeinflusst wurden.*

dialogorum mortuorum, quae sint exempla Graeca, Wasmansdorf p. 12 demonstravit. Qui quod putat, reliquos dialogos quos ego Menippeos existimo Lucianum e suo dedisse atque ita instituisse, ut deos et mortuos de quapiam re confabulantes induceret, equidem arbitror Necyiam Menippi Luciano argumenta dialogorum mortuorum dedisse, quae argumenta ipsum e suo dialogis singulis intulisse concedo, quo fit, ut Lucianus etiam in dialogis mortuorum a Menippo quodammodo pendeat. Aliter censet Hirzel, qui, cum Lucianum in his dialogis Menippo usum esse negat, vitae Menippi descriptionem quandam Luciano in componendis dialogis mortuorum ante oculos versatam esse arbitratur.[1])

Sed similitudinibus inter Dialogos Mortuorum et Luciani Necyomantiam et Horatii saturam intercedentibus Hirzelii sententiam reiciendam esse existimo. Etiamsi quae Hirzel affert,[2]) locus, ubi versabatur Menippus dum vivit (I, 1), eius irrisio philosophorum (I, 2), habitus (X, 11), mors voluntaria (X, 12) in dialogis mortuorum commemorantur, id tamen nihil valet; huc accedit, quod talem vitae descriptionem fuisse non notum est; etiam Menippum ipsum vitam suam descripsisse traditum non est. Quae cum ita sint, non alienum videtur putare Necyiam Menippi Dialogorum Mortuorum Luciani exemplum fuisse.

Haec si certe disputata sunt, quae in Menippi Necyia scripta fuerint cognoscere non difficile puto.

Comparatis Horatii satura et Luciani Necyomantia in Orcum descensus, Tiresiae consultatio et risus iam Menippi Necyiae sunt tribuenda. Similitudinibus Dialogorum Mortuorum et Luciani Necyomantiae in examen

---

[1]) II. 320: *Nicht an eine Menippea knüpft Lucian in den Totengesprächen an, soweit Menipp an ihnen beteiligt ist, sondern eher an eine Biographie des Kynikers, die er dichtend bis in das Leben nach dem Tode fortführte.*

[2]) l. c. adn. 3.



vocatis parodias, in tyrannos, divites, philosophos irrisionem, vitae privatorum cupiditatumque minime studiosorum hominum laudem in Menippi Necyia fuisse apertum est. Etiam fieri potest, ut psephisma mortuorum, quod exeunte Luciani Necyomantia scriptum est, in Menippeo archetypo fuerit, praesertim cum eiusmodi leges etiam in Saturnalibus (i. e. in libro Menippeo) 13—17 inveniantur; attamen id in medio relinquere malo.

Quae cum ita sint, compositio Menippeae Necyiae fuerit haec: Menippus, ut optimam vitae rationem discat, in Orcum descendit; dum ambulat, cum mortuis colloquitur, in quibus colloquiis tyrannos, divites, philosophos in ludibrium vocat. Postquam ad Tiresiam venit, ab eo petit, ut quae optima vivendi ratio sit sibi aperiat. Responsum fert hoc: *ὁ τῶν ἰδιωτῶν ἄριστος βίος.*

Si quaerimus, quomodo Lucianus Menippi Necyia usus sit, primum dispositionem ex ea eum sumpsisse apparet. Quae Menippus, dum per Orcum it, cum in sua Necyomantia breviter commemoraverit, in Dialogis Mortuorum plenius fusiusque pertractavit.

Haec de Lucianea in Necyomantia atque Dialogis Mortuorum imitatione. Iam priusquam ad Icaromenippum transeam, breviter disputabo, quando Dialogi Mortuorum compositi sint, utrum ante Necyomantiam an post eam. Alii[1]) priores, alii[2]) recentiores Necyomantia hos dialogos iudicant. Latius haec quaestio patet, quam quae paucis absolvi possit, si omnes quae de ea allatae sunt sententias in examen vocem. Equidem crediderim ante Necyomantiam Lucianum scripsisse Dialogos Mortuorum. Luciani Dialogos Mortuorum et Necyomantiam in initio Lucianeae imitationis Menippei scribendi generis esse ponenda inter omnes constat. Quodsi scriptor quidam novo scri-

---

[1]) Solanus ad Nec. 1; Rentsch, *Lucianstudien* 1895 p. 41.

[2]) Wasmansdorf p. 17; Croiset, *la vie et les oeuvres de Lucien* 1882 p. 59; F. Fritzsche, *Luc. rec.* III, pars II p. LXI.

bendi genere uti incipit, id mea quidem sententia ita facit, ut primum opuscula minora componat; hisce opusculis ab eis qui legunt probatis eiusdem generis maiores libros scribet. Quae cum ita sint, Lucianum nonnullis ex Menippi Necyia argumentis sumptis primo loco Dialogos Mortuorum composuisse puto, secundo Necyomantiam. Si verum est hoc, mirum non est, quod Lucianus in his dialogis, in quibus eis qui legebant Menippi personam paulatim ante oculos ponere in animo habuisse videtur, vitae consuetudines huius cynici quasdam commemorabat, qua re Hirzel — ut supra dictum est — putavit, Lucianum ut Dialogos Mortuorum componeret vitae cynici descriptione quadam esse commotum.

Venio nunc ad illum Luciani dialogum qui *Ἰκαρομένιππος ἢ Ὑπερνέφελος* inscribitur[1]). Cuius saturae compositio Necyomantiae est tam similis, ut quin utramque saturam comparemus facere non possimus.

Quod attinet primum componendi rationem, Menippus in utraque satura amico cuidam occurrit — in Necyomantia Philonidi, in Icaromenippo amico, cuius nomen scriptor tacet. Hic Menippi amentiam satis admirari non potest; etenim in Necyomantia cynici, qui proxime ex Orco reversus pileo, lyra, leonina pelle vestitus obviam it, insolens habitus Philonidi est admirationi; ineunte Icaromenippo amicus miratur, quod Menippus de astris, sole, luna disputat, insuper vero etiam grandia nomina, mansiones quasdam et parasangas peregrina ratione commemorat. Qua amicorum admiratione Menippus, ut Philonidi, quae apud inferos vidit, amico ignoto in astris peregrinationem narret, commovetur. Utriusque expositionis similitudo eo augetur, quod in utroque scripto Menippo eadem est causa, qua itinera facere cogitur. Ut

---

[1]) Hunc dialogum esse spurium Iacobs (*Appendix ad Pors. adv.* p. 297) unusquidem contendit; quibus tamen rationibus ductus id iudicium tulerit, omnino non exponit.



in Necyomantia sic etiam in Icaromenippo Menippus philosophos, quidquid verum esset, pronuntiare posse speraverat. At illi ut illa eum ignorantia liberarent, tantum aberat, ut in multo etiam maiores dubitationes conicerent. Qua de causa expers consilii, in terra auditurum se de hisce rebus verum desperans Menippus in Necyomantia ad inferos descendit, in caelum, ubi ipsum verum optime perspici possit, ascendendi consilium init in Icaromenippo. Menippus, ut in Necyomantia a Chaldaeo Mithrobarzane descendendi causa instruitur atque exornatur, sic in Icaromenippo ipse se in arte volandi exercens quae opus sunt praeparat.

Praeter has generales similitudines, quas praebent compositiones, inveniuntur etiam nonnulla alia, quae sunt similia. Eandem comparationem, quae in Nec. 16 invenitur, etiam in Icar. 29 legimus, ubi vita hominum cum actoribus comparatur illo tantum discrimine interposito, quod in Necyomantia vita omnium, in Icaromenippo pseudophilosophorum in comparationem cum actoribus vocatur; similes maxime esse philosophos tragicis illis actoribus quorum si personas auferas et amictum illum auro intextum, quod relinquatur ridiculum quiddam sit. Praeterea etiam divites et potentes irridentur et in Necyomantia et in Icaromenippo. Ut omittam Necyomantiae exempla quae supra iam attuli, confer Icar. c. 4, ubi Menippus *τὰ κατὰ τὸν βίον*, inquit, *γελοῖα καὶ ταπεινὰ καὶ ἀβέβαια τὰ ἀνθρώπινα πάντα εὕρισκον* · et expresse addit: . . . . . *πλούτους λέγω καὶ ἀρχὰς καὶ δυναστείας*. Huc accedit, quod etiam philosophi in utraque satura pari modo in ludibrium vocantur; in Nec. 4 et in Icar. 5 philosophorum ignorantia contrariaeque sententiae illuduntur; quin etiam in Icar. 29 philosophi appellantur *γένος ἀνθρώπων . . . . . . . . ἀργόν, φιλόνεικον, κενόδοξον, ὀξύχολον, ὑπόλιχνον, ὑπόμωρον, τετυφωμένον, ὕβρεως ἀνάπλεων, ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης*.

Videmus igitur inter Necyomantiam et Icaromenippum intercedere magnas similitudines.

Sed sunt etiam diversa. Menippi in Orcum descensui, qui in Necyomantia describitur, contrarium est iter ad astra factum, quod in Icaromenippo legimus. Perbene igitur accidit, quod iter per aera factum etiam in ea Varronis satura, quae *Marcipor* inscribitur, invenitur. Qua in satura cum humanae cupiditates, studiorum varietas, sensuum perversitas, tum ineptiae astrologorum atque philosophorum dogmatistarum irridentur, qua de re Hense[1]) fusius disseruit; in eadem satura, quam E. Norden[2]) Menippeam suo iure appellat, Hense (l. c.) permultas sententias cynicas atque eas tertii a. Chr. n. saeculi inesse locis similibus allatis ostendit. Itaque si Varro, ut ipse dicit apud Ciceronem,[3]) in saturis suis Menippum non interpretatus, sed imitatus est, etiam in Menippi scriptis satiricis talem cursum aerium exstitisse verisimile est. A Nordenio, qui Varro an Lucianus propius ad Menippum accedat quaerit[4]) — id quod Norden ipse in medio relinquit — initio capto Hense[5]) quae ratio intercedat inter Luciani Icaromenippum Varronisque Marciporem inquirit; hac disquisitione ad finem perducta Lucianum iter in caelum feliciter finitum e suo addidisse et Icaromenippum Necyomantiae ex contraria parte respondentem ex suo ingenio composuisse Hense concludit.[6]) Id ut sentiat, eventibus, qui itineribus et Varroniano et Lucianeo sunt diversi, commovetur Hense.

---

[1]) *Festschrift für Gomperz,* p. 188.

[2]) *In Varronis saturas Men. obs. sel. (Fleckeisens Jahrbücher,* 1892, Suppl. p. 269 sqq.*)*

[3]) *Acad. post.* I, 2,8.

[4]) p. 270.

[5]) p. 185 sqq.

[6]) p. 191: *Ein solches Gegenstück konnte aber nur eine Auffahrt nach dem Monde abgeben. Für Menippus ist dagegen eine derartige Absicht schwerlich vorauszusetzen.*



Menippum enim ad lunam, inde in caelum pervenientem cum faciat Lucianus, nocturni Varronis exploratores regionem, quae est *inter lunae gyrum et nimborum ac ventorum cacumina,*[1]) nondum egressi tempestate oborta ex alto in terram deiciuntur; conferas frg. 269—272 apud Buechelerum.[2]) Quod igitur Varronis exploratores pereunt eorumque studia ad vanum et irritum rediguntur, Cynicorum, qui dogmata non pronuntiabant, arti magis respondere quam Luciani iter ad lunam et caelum prospere confectum Hense existimat.[3]) Itaque in archetypo ipso Menippum Icari fato obisse sentit Hense. Hac in conclusione ille mea quidem sententia neglexit, quae diversitates intercedant inter Varronis astrologos et personam Menippi; etenim apud Varronem philosophi, quorum est de rebus caelestibus agere, in caelum volant, cum apud Lucianum Menippus, qui vere cynicus tales ineptias irridet,[4]) in caeli regiones penetret simulans res caelestes se discere velle, re vera autem, ut talia studia esse inania et vana suo usu eisdem astrologis et philosophis ostendat; neque enim magis quam Varronis astrologi Menippus de hisce rebus quidquam cognoscit; id verum esse intellegas ex Icaromenippi fine, ubi dei responso minime dato amputatis alis, ne qua iterum huc veniat et deos perturbet, Mercurium Menippum in terram deferre iubent. Qua re nemo est qui dubitet, quin totius dialogi genus satiricum valde augetur. Nam eo, quod Menippus deos ipsos de

---

[1]) Varro apud August. *de civ. dei* VII, 6.

[2]) *Petron.* ed. Buecheler, Berol. 1882.

[3]) p. 189: *Klärlich aber ist das Scheitern der Luftschiffer und ihrer astrologischen Umschau weit mehr im Sinne der antidogmatischen Tendenz des Kynismus als ein Flug zum Monde und von da zur Götterburg, wie ihn Lucian seinen Lesern zum besten gibt.*

[4]) Norden, p. 270: *Cynici Socratem secuti insanire affirmabant homines qui non spectantes id quod esset ante pedes caeli scrutarentur plagas;* argumenta Norden affert.

istis rebus certa iudicia pronuntiare non posse docet, horum studiorum vanitas etiam magis illustratur. Qua deorum ignorantia Menippi irrisionem atque saturam plus valere et in maius produci Hense non sentit. Huc accedit, quod in Icaromenippo Menippus non solum vanas cupiditates philosophorum in irrisionem vocare studet, sed etiam deos irridere in animo habuisse videtur — id quod quantum scio antea nemo animadvertit —, nam ut philosophi Menippum ignorantia liberare non possunt, sic etiam dei de eiusmodi rebus cum cynico interrogante nihil communicant; id ex eo intellegitur, quod Iupiter consilio de Menippi adventu convocato iam pridem se philosophis irasci neque amplius eorum superbiam, vanitatem, iactationem perferendam esse oratione exponit, Menippum autem — ut iam supra dictum est — ex caelo removeri iubet. Sed ut Menippus tali modo deorum ignorantiam castigare posset, eum in caelo esse necesse erat; qua de causa eum ad caelum pervenire neque decidere opus erat.[1])

Ut Menippi volatus caelestis prospere eveniret, effecerunt etiam alae, quas Menippus sibi applicat. Comprehensis enim avibus aquilae dextram alam, volturis alteram amputat revinctasque circa humeros locis validis aptat. Quas diversas alas non nihil valere neque ornatum modo orationi afferre, sed magni momenti esse Hense primus intellexit. Sed cum iter Menippi aerarium feliciter evenisse idem neget, quae sit vis harum alarum diversarum mea quidem sententia non recte interpretatur: is qui aquilae alam esse cynicorum philosophiam veterum et verorum, cum in volturis ala intellegenda sit philosophia

Consilium in caelo ipso quaerendi etiam in dialogo Luciani *περὶ θυσιῶν*, qui cynicis sententiis abundat, legitur. Verba sunt haec (c. 8): *φέρε δὲ ἤδη τούτων ἀφέμενοι τῶν λόγων ἐς αὐτὸν ἀνέλθωμεν τὸν οὐρανὸν ποιητικῶς ἀναπτάμενοι κατὰ τὴν αὐτὴν Ὁμήρῳ καὶ Ἡσιόδῳ ὁδὸν καὶ θεασώμεθα ὅπως ἕκαστον διακεκόσμηται τῶν ἄνω.*



recentiorum — in his Menippum quoque numerat — cynicorum, qui nomen modo philosophorum prae se ferentes ad suas ipsas cupiditates explendum omnia studia transferant, arbitratur, utramque alam ut Menippeam reicit ea de causa, quod fieri non possit, ut Menippus de sua ipsa philosophia tale iudicium tulerit.[1]) Quam interpretationem esse falsam equidem arbitror. Lucianus Menippum quasi suum sibi ascivit, non ut Cynicos exagitaret, sed ut Cynicorum more per hunc aliorum philosophorum vana studia irrideret, quo fit, ut de Menippi philosophia in malam partem iudicium facere Lucianum in animo habuisse verisimile non sit. Lucianus, qui philosophus nec erat nec esse voluit, minus studium philosophiae curavit, quam ut cynicorum philosophiam veterem a Menippi distinguere posset. Veterum cynicorum philosophiam, quae *αὐτάρκειαν* virtutem solam laudabat omnesque res quas homines expetere solent contemnebat, postea abisse ad superbiam et impudicitiam ostentandam

[1]) p. 192: *Eine Pointe gewinnt man, meine ich, erst durch die Annahme, dass Lucian durch die Wahl dieser verschiedenartigen Flügel eine Kritik der menippeischen Philosophie geben wollte; der rechte, der Adlerflügel, ist, wenn ich recht sehe, der alte echte Kynismus: αἰετὸς ἀνθρώπων nennt die Pisidische Inschrift den Epiktet, der den Diogenes noch über Sokrates stellte. Der Geierflügel stellt die schlechtere Seite dar, die mindere Schwungkraft, zu den Göttern emporzudringen, das hedonische, geniessliche Moment des menippeischen Kynismus . . . . Haben wir damit die richtige Deutung getroffen, so ist wohl selbstverständlich, dass man eine derartige Kritik nicht von dem historischen Menipp erwarten darf, denn den Kynismus, den er vertrat, vertrat er aus Überzeugung. Ist aber damit der Adler- und Geierflügel als Lucianische Erfindung erwiesen, so wird auch von hier aus die in der Varronischen Satire fehlende Auffahrt zum Monde und zur Himmelsburg in Bezug auf ihren Menippeischen Ursprung stark verdächtigt.*

notum est. Eiusmodi Cynici philosophorum nomen et habitum, non mores et integritatem prae se ferebant. Hos ab illis secrevisse Lucianum docent cum cynicorum principum, velut Antisthenis Diogenis Cratetis laudatio quam multis Lucianeorum scriptorum locis legimus, et dialogus *Κυνίσκος*, in quo cynicum perfectum et verum describit Lucianus, tum praeter alios dialogus cui *περὶ τῆς Περεγρίνου τελευτῆς* inscribitur, in quo falsi cynici acerbissimis conviciis lacerantur et irridentur. Menippum a Luciano in numero cynicorum veterum et sincerorum habitum esse, cum ex partibus quas Menippus in dialogis agit cernitur, tum monet Bis. acc. 33, ubi Menippum *τινὰ τῶν παλαιῶν κυνῶν* appellat Lucianus. Equidem igitur puto dextram alam aquilae significare Menippi philosophiam veterem, cum altera volturis omnes reliqui philosophi indicentur. Ut aquila ceterarum avium quasi regina est, ita Menippi philosophiam solam esse veram ceterorumque superare hoc modo significatur. Secundum hanc sententiam aquilae alam esse interpretandam iam ex eo intellegitur, quod divites, potentes, tyrannos, philosophos cognoscendi Menippo in luna versanti facultas datur aquilae ala demum adiuvante. Mea sententia etiam capite 13 valde fulcitur — id quod Hense plane neglexit —, ubi narratur Menippum, cum in luna versatus sit ipsamque quidem terram visu cognoverit, aliqua vero perspicere ob profunditatem non potuerit, valde eam rem anxisse multamque sollicitudinem praebuisse, quoad tandem sapiens philosophus Empedocles Menippo adstiterit; hic in cap. 14 Menippi querenti dicit: *τὸ γὰρ ὀξυδερκὲς αὐτὸς ἤδη γῆθεν ἥκεις ἔχων*, et paulo infra: *ἢν γὰρ ἐθελήσῃς μικρὸν ἀναστὰς ἐπισχὼν τοῦ γυπὸς τὴν πτέρυγα θατέρᾳ μόνῃ πτερύξασθαι κατὰ λόγον τῆς πτέρυγος τὸν δεξιὸν ὀφθαλμὸν ὀξυδερκὴς ἔσῃ.* Id postquam fecit Menippus, quae in terra agantur perbene cognoscit. Ut igitur *πάμπολυ τῶν ἄλλων ζῴων ἀετός ἐστι ὀξυωπέστατος, ὥστε μόνος ἀντίον δέδορκε τῷ ἡλίῳ* (c. 14), ita etiam Menippi philosophia sola est optima, reliquas



philosophandi disciplinas spernere atque ipsa vigere non veretur.

Videmus igitur aquilae ala ipsa suam philosophiam adiuvandi perversitatemque ceterorum philosophorum spectandi atque irridendi (c. 15 sqq.) Menippo potestatem dari.

Quae cum ita sint, aquilae alam significare veterem philosophiam cynicorum et ad Menippi studium philosophandi referri necesse est. Itaque Lucianum etiam in Icaromenippo partibus Menippi favere non sine causa existimare mihi videor. Quod Hense Lucianum utramque alam ipsum finxisse existimabat, eiusdem sententiam me refutavisse puto; itaque iam in Menippeo archetypo caelestem volatum prospere evenisse alamque utramque fuisse verisimillimum est.

Iam quaeritur, num duas saturas, quales sunt Necyomantia et Icaromenippus, apud Menippum tali modo inter se respondisse verisimile sit. Quod num revera evenerit, cum Menippearum saturarum nonnulli modo tituli exstent, difficile est dictu; id non evenisse certa iudicia exstare nego. Iam in Menippeis scriptis Icaromenippum respondisse Necyomantiae negant Hirzel[1]) et Bruns[2]); item Ettig, qui scribit[3]): *Simili de causa ascendit Icaromenippus, quem libellum omnino Menippi necyomantiam ad caelestia translatam dixeris. Inde vero, quod bis paene eandem causam hic ascendendi, illic descendendi Menippo quidem tribuit, nescio an verisimillimum fiat, istam ipsam causam iam invenisse Lucianum apud Menippum.*

Equidem crediderim utramque saturam Lucianeo modo iam apud Menippum exstitisse; utraque, in qua

---

[1]) II, p. 318: *Dass .... schon menippeische Originale in dieser Weise korrespondiert hätten, ist nicht wahrscheinlich.*

[2]) *Lucians philos. Sat.* in *Mus. Rhen.* 43, 192: *Möglich, dass hier nur der Name menippeisch und alles andere von Lucian frei erfunden ist.*

[3]) p. 334 adn. 1.

omnia genera Menippi philosophiae inveniuntur, inter se est coniuncta. Huc accedit, quod hae duae saturae, quippe quae de compositione inter se plane congruant, saturae genere subtili non carent.[1])

Sed ut omittamus volatum caelestem, Menippum, cum Necyomantiam componeret, iam Icaromenippum componendum in animo habuisse puto; etenim Menippus, quamquam compluribus Necyomantiae locis philosophos dogmatistas dialecticosque commemorat et eorum vana studia irridendi facultatem habebat, tamen de eis fusius agere aspernatur; eum in alia satura hosce in ludibrium vocare in animo habuisse docent duo Necyomantiae loci: In cap. 4 de rebus caelestibus, de quibus multi philosophi disputant, quominus loquatur Menippus recusat: *περὶ μὲν γὰρ τοῦ κόσμου τί χρὴ καὶ λέγειν;* id mihi Menippus ea de causa neglegere videtur, quod in Necyomantia in eos qui de moribus disputabant philosophos invehi sibi proposuerat, eos autem, qui de ideis, incorporeis, individuis, spatiis vacuis talique turba vocabulorum quotidie disceptabant, in alia satura (i. e. in Icaromenippo) aggredi in animo habebat. In Nec. 21 monet Tiresias Menippum, ut dementiam rimandi caelestia et fines ac principia rerum quaerendi ponat; haec studia esse vana Menippus in Icaromenippo explicat.

Quae cum ita sint, Icaromenippum supplementum quasi Necyomantiae esse verisimile est, id quod etiam Hirzel fatetur, qui Menippum ut in Necyomantia quid de moribus sentiat exposuerit, sic in Icaromenippo rerum naturae doctrinam suam explicavisse censet.[2])

---

[1]) Croiset, p. 61: *Une telle similitude d'invention me paraît attester que les deux ouvrages procèdent d'une même influence littéraire.*

[2]) II, 318: *Beide Darstellungen scheinen . . . . . auf einander berechnet zu sein. Ja, wenn wir Ikaromenipp hören, dass ihm die Lächerlichkeit des gewöhnlichen Treibens der Menschen längst klar gewesen sei und er aus diesem*



Ac ne id quidem si neglegimus, Menippum in Icaromenippo etiam deos irridere, in Necyomantia et in Icaromenippo omnia irridendi genera quae erant Menippi inveniuntur. Licet hoc verum sit, quod Hense dicit praecipua Icaromenippi oblectamenta esse posita in eis quae a Menippo gesta sint quaeque illi acciderint,[1]) tamen non id est praetermittendum Menippum primo loco non, ut incepta atque facinora audacia describat, sed ut cynicam philosophiam suam collaudet commendetque, hunc dialogum composuisse. Id ita esse eo probatur, quod Menippus et philosophorum ceterorum de rebus caelestibus sententias lacerat neque cynici philosophi omnino aut nominantur aut illuduntur.[2]) Ex his sequitur, ut Brunsii sententia non sit probanda, qui Menippum in Icaromenippo non philosophi, sed hominis gloriosi et vaniloqui partes agere existimat.[3]) Potius sequor Helmium,

---

*Grunde sich der ernsthaften Beschäftigung mit den himmlischen Dingen habe hingeben wollen . . . . , so klingt das wie ein Hinweis auf die Nekyomantie, zu der das Folgende die Ergänzung, gewissermassen eine menippeische Physik zur menippeischen Ethik geben soll.*

[1]) p. 190: *Man wende nicht ein, dass der heiter burleske Anstrich, das parodierende Element, die komische Würze, welche in Lucians Schilderung bald mehr, bald weniger fühlbar sind, dem Kynischen Humoristen des dritten Jahrhunderts nicht übel angestanden hätten. Ein solches Urteil würde übersehen, dass die amüsanten Abenteuer, wie sie Lukian bietet, trotz allen parodistischen Ingredienzien den Hauptreiz der Schrift ausmachen.*

[2]) Helm *Lucian und die Philosophenschulen* (in *Jahrb. f. d. klass. Altertum* 1902 p. 353): *Selbst wenn Herophilus (c. 16) im Hurenhaus weilt, ist das mit den Traditionen seiner Schule wohl vereinbar (Die Beläge dafür bei Zeller III, 1⁴ p. 322 Anm. 1), die ja keine Askese, sondern möglichst einfache Befriedigung aller Bedürfnisse will.*

[3]) p. 192: *Die Figur des Menippus, wie er sonst bekannt ist und von Lukian in den Totengesprächen*

qui censet Lucianum et in Necyomantia et in Icaromenippo, in quibus dialogis Menippus quid de moribus et de rebus caelestibus sentiat proferat, Menippo se usum esse eo indicavisse, quod illum cynicum primas partes agentem induxerit.[1])

Menippum[2]) igitur et caelestem volatum composuisse ex Varronis satura Marcipor inscripta intellegi potest et

---

*geschildert wird, 'als ein cynischer Zelot, ist hier ganz umgewandelt zu der kynischen Gestalt eines behaglich fabulierenden Aufschneiders, der in gar keinem Verhältnis zur Philosophie steht.*

[1]) p. 364: *Es ist bezeichnend, dass die beiden Werke, in denen auf die Widersprüche der Philosophen untereinander, aber auch auf den Gegensatz zwischen ihrer Lehre mit ihrem Leben hingewiesen wird, bei Lukian gerade mit dem Namen Menipp verbunden sind. Im Ikaromenipp 5—9 werden die verschiedenen metaphysischen Ansichten zusammengestellt, und Elemente usw. erscheinen dem Menipp als ein solches Chaos, auch die theologischen Anschauungen so verschieden, die metereologischen z. T. so seltsam, dass er daraus den Grund zu seiner Himmelfahrt herleitet. Damit schwimmt Lukian völlig im Fahrwasser des Kynismus (Wachsmuth, Corpusc. 46); handelt es sich doch im Grunde um den Beweis für den Satz, den Varro so scharf ausspricht: Postremo nemo aegrotos quicquam somniat tam infandum quod non aliquis dicat philosophus. Ähnlich werden in der Nekyomantie 4—6 die ethischen Lehren nebeneinander gestellt, deren völlige Verschiedenheit, zumal sie alle im Tone der vollsten Überzeugung vorgetragen werden, den Menipp veranlasst, in die Unterwelt zu Tiresias hinabzusteigen. Ganz offenbar dokumentiert Lukian hier seine Abhängigkeit, indem er dem Menippus in beiden Werken die Hauptrolle zuschreibt.*

[2]) Breviter admoneam de duobus locis, quorum alter apud Horatium, alter in Luciani Icaromenippo legitur, inter se congruentibus.

Apud Horatium (*sat.* I, 1) Jupiter buccas iratus inflat, quod



in physicos philosophos esse invectum Diog. L. VI, 101 affert. Ex his verisimile puto Menippum in libro, qui apud Diogenem Laertium *πρὸς τοὺς φυσικούς* inscribitur,[1]) philosophos de hisce rebus disceptantes eludentem itinere aerio usum esse, ut istis philosophis quantopere vana ipsorum studia sint ostenderet.[2]) Etiam Bruns fieri posse non negat, ut Menippus diversas contrariasque sententias

---

et homines sunt magna inconstantia et ipse eisdem frustra consulere voluit; v. 20—22 legimus:

Quid causa est, merito quin illis Jupiter ambas
Iratus buccas inflet neque se fore posthac
Tam facilem dicat, votis ut praebeat aurem?

In Icar. 25 Jupiter se dat precantibus, qui undique terrarum diversa et varia orabant; iustas preces sursum admissas per fenestellam caeli reponebat ad dextram, *τὰς δὲ ἀνοσίους ἀπράκτους αὖθις ἀπέπεμπεν ἀποφυσῶν κάτω.*

Videmus igitur et Horatium et Lucianum Jovem buccas inflantem fingere. Sed num utrique scriptori Menippus ante oculos versatus sit in medio relinquo. Cf.: Th. Fritzsche, *Menipp und Horaz* 1871 p. 27—29; Wachsmuth, *Philol. Anz.* IV, 1872 p. 196; H. Fritzsche *Sermon.* I, adn. ad I, 1,21 p. 49; Rowe p. 16.

[1]) Ut postea in Saturnalibus scriptis pertractandis fusius explicabo, verba Diogenis — *πρὸς τοὺς φυσικοὺς καὶ μαθηματικοὺς καὶ γραμματικοὺς καὶ γονὰς Ἐπικούρου καὶ τὰς θρησκευομένας ὑπ' αὐτῶν εἰκάδας* — non titulos Menippeorum scriptorum puto sed argumenta sola; itaque fieri potest, ut satura, quam Diogenes vocibus *πρὸς τοὺς φυσικούς* significat, titulum qui Lucianeo respondebat habuerit.

[2]) Wasmansdorf p. 12 titulum *πρὸς τοὺς φυσικούς* Menippeum archetypum Luciani *Hermotimi* fuisse arbitratur; verba eius sunt haec: *sequitur, ut hic liber fons saturae Varronis* (*περὶ αἱρέσεων*), *idemque Luciani Hermotimi sit. Haec fere summa est subtilis Fritzschii (II, 2 XXVII sqq.) argumentationis.* Attamen conferas: K. Praechter *Skeptisches bei Lukian* (in *Philologus* 1882 p. 284 sqq.); is recte scribit: *Wird man ihm* (sc. Menippo) *aber jene ganze skeptische Beweisführung, wie wir sie als dem „Hermotimus" zu Grunde liegend erkannt haben, zutrauen dürfen? Bei einem so engen Anschluss an die skeptische Theorie hätte Menipp*

philosophorum dogmatistarum aliqua satura tali modo irriserit.[1])

Si quaerimus, quid ex Menippeo fonte hauserit Lucianus, philosophorum dogmatistarum irrisionem, deorum cavillationem, iter aerium,[2]) utramque alam, privatae vitae collaudationem[3]) a Menippo repetenda esse puto; quae Luciani ingenii sint, non facile dici potest; Lucianus multa, non multum e suo addidisse videtur. Ut in Necyomantia sic etiam in Icaromenippo Menippi quasi pedisequus est Lucianus.

Quaeritur, quando Icaromenippus sit conscriptus. Quod Fritzsche[4]) anno 180 hunc dialogum compositum arbitratur, a Brunsio ea sententia recte est refutata; sed errat Bruns, cum Necyomantiam post Icaromenippum compositam putat;[5]) recte suspicatur Hirzel[6]) Icaromenippum supplementum quasi Necyomantiae esse, id quod

---

*aufgehört, Kyniker zu sein . . . . So werden wir das Skeptische bei Lukian nicht aus Menipp, sondern aus der Schrift eines Skeptikers herzuleiten haben.*

[1]) p. 96: *Der Name des Sprechers drängt die Beobachtung auf, dass diese ganze Exposition durchaus in den Rahmen der kynischen Satire passt, in der bekanntlich die Angriffe auf alle dogmatische Philosophie, wie überhaupt auf die ἐγκύκλια μαθήματα im Gegensatz zur reinen Moralphilosophie recht eigentlich zu Hause sind (Wachsmuth, corp. 66 sqq.). Es ist nicht unmöglich, dass Menipp die Widersprüche der Dogmatiker einmal in der Weise persifliert hat, dass er die eigenen Erfahrungen mitteilte, die er in ihren Schulen gemacht hatte.*

[2]) Kock (*Mus. Rhen.* 43 p. 53 sqq.) totum dialogum ex comoedia esse depromptum existimat; equidem concedo iam Menippum nonnulla — in his volatum caelestem — ex comoedia hausisse; cf. Norden p. 270 adn. 1; Bruns p. 196.

[3]) Bruns p. 193/4; contra eum Hense p. 195.

[4]) II, 2,159.

[5]) p. 196.

[6]) II, 318.



Hense[1]) fusius explicat. Quod Hirzel et Hense Necyomantiam et Icaromenippum inter se coniuncta putant, postquam supra Hensii sententiam, qua Icaromenippum Luciani ingenii esse demonstratur, rectam non esse docui, equidem crediderim, hoc supplementum iam ad Menippum revocandum esse; is hanc utramque saturam ceteris scriptis satiricis praemisisse videtur, ut in eis πρόγραμμα quasi suae saturae offerret. Icaromenippum post Necyomantiam esse ponendum et utramque saturam esse coniunctam etiam ex eo intellegitur, quod Menippus exeunte Icaromenippo ad idem revertitur, a quo ineunte Necyomantia orsus erat i. e. ad vitae privatae laudationem.[2])

## II.

Quoniam Luciani Dialogos Mortuorum, Necyomantiam, Icaromenippum ex Menippi scriptis hausta esse demonstravi, ad tres alias saturas, in quibus idem consilium eademque ratio inest, transeo; hi dialogi sunt: *Θεῶν ἐκκλησία, Ζεὺς ἐλεγχόμενος, Ζεὺς τραγῳδός.*

Hirzelii sententia, qua Menippum deorum Olympiorum concilium quod apud Homerum legimus descripsisse explicatur,[3]) quamvis a primo ad probandum infirma esse videatur, tamen eo fulcitur, quod apud Lucianum dialogus qui *Θεῶν ἐκκλησία* inscribitur invenitur; ea satura, in qua cynicas et a Menippo minime alienas sententias legi infra demonstrabitur, inducor, ut Luciano, quippe quem pedisequum quasi Menippi fuisse supra cognoverimus,

---

[1]) p. 194—196.

[2]) Ex Hirzelii sententia (II, 316,2) etiam titulus simplex *Μένιππος*, quem deinde ad titulum *Ἰκαρομένιππος* amplificavit Lucianus, Necyomantiam prius esse compositam ostendere videtur.

[3]) I, 386: *Nicht bloss einzelne Verse, ganze Szenen des alten Dichters machten sie in dieser Weise für ihre Zwecke nutzbar. Die Götterversammlung des Olymp wurde nach homerischem Vorbild von Menipp geschildert.*

etiam in Deorum Concilio componendo illum ante oculos versatum esse credam.

Apte admonet Birt in pulchro opusculo *Zwei Satiren des politischen Rom* etiam Lucilium Menippo usum deorum concilium composuisse;[1]) sed ex eius fragmentis Lucianum Menippi vestigia pressisse intellegi non potest. Attamen haud scio an Menippum a Luciano adhibitum esse verisimile fiat, cum Luciani dialogum cum Varronis Menippea satura quae *Pseudolus Apollo* ἢ περὶ θεῶν διαγνώσεως inscribitur comparamus. Hic Menippum esse archetypum iam Birt existimavit;[2]) etiam Hense Luciani Deorum Concilium a Menippo esse repetendum suspicatur.[3])

Quae cum ita sint, Luciani Deorum Concilium cum Varronis satura comparemus.

Ex duobus Varronianae saturae fragmentis, quae supersunt sola,

I.

cum sex pueri et puellulae pariter item sex
aut septem in utroque cum choro pari vagarunt

II.

quod in eius dei templa calceati intro eunt, nam in oppido quae est aedes Apollinis et quae ibi ad Herculis, ut intro eat, nemo se excalceatur[4])

---

[1]) p. 23: *Es ist glaublich, dass die Idee, die Götterversammlung zu Anfang der Odyssee zu satirischem Zwecke zu verwerten, dem Lucilius wiederum durch Menipp zugetragen ist . . . . . An eben diesen Gegenstand dachte übrigens Laktanz, wenn er Lucilius mit Lucian zusammenstellend bemerkt: diese beiden hätten weder Götter noch Menschen geschont (inst. I, 9,8).*

[2]) l. c.: *Die zwei Nachbildner Menipps, Lucian in seiner* θεῶν ἐκκλησία *und Varro im Pseudolus Apollo* ἢ περὶ θεῶν διαγνώσεως, *haben das nämliche Sujet behandelt, was einen Rückschluss auf ihr Original nahelegt, ja fast aufnötigt.*

[3]) p. 193.

[4]) Frg. 438/9 apud Buech.



facile intellegitur, quanta in deos contemptione homines sint imbuti: deorum cultum esse sublatum, chorum otiosum vagari, sacrificia non offerri, immo, quin deorum templa violet, nemo deterretur: calceati introeunt in templa deorum. Talem omnium deorum contemptionem etiam in Luciani Deorum Concilio invenimus, ubi Momus apud deos queritur hisce verbis (c. 12): ἀφ' οὗ δ' οὖν τοσοῦτοι γεγόναμεν, ἐπιδέδωκε μᾶλλον ἐπιορκία καὶ ἱεροσυλία, καὶ ὅλως καταπεφρονήκασιν ἡμῶν εὖ ποιοῦντες. Hoc quoque loco homines deos contemptos habere videmus: periuria et sacrilegia magis magisque augentur. Cuius contemptionis quae sit causa cum in Varronis fragmentis intellegi non possit, Lucianus aperte dicit numero deorum crescenti hanc hominum contemptionem esse tribuendam (c. 5). Apud Varronem eandem causam fuisse titulo περὶ θεῶν διαγνώσεως verisimile fit; etenim ut Lucianus deorum monstra portentaque, quae quin hominum risum moveant dubium non est, irridere sibi proposuerat, sic se in satura sua qui sint veri dei qui falsi exquisivisse et hanc rem ridiculam in irrisionem vocavisse voce διάγνωσις ostendere videtur Varro. Videmus igitur et Varronem et Lucianum in saturis suis ancipitibus deis irridendis operam navasse.

Cum igitur Lucianum ex Varrone hausisse minime cogitari possit, potius uterque Menippum se secutum esse profiteatur, ex supradicta similitudine sequitur, ut utrique fons communis i. e. Menippeus ante oculos versatus sit.

Argumenta plura in medium proferam, quae rem de qua agitur paene sub oculos subiciant.

Deorum multitudinem a cynicis omnium risui esse traditam, illud Antisthenis docet (*Philodem. de Pietate* c. 7a): παρ' Ἀντισθένει δ' ἐν μὲν τῷ Φυσικῷ λέγεται τὸ κατὰ νόμον εἶναι τοὺς θεούς, κατὰ δὲ φύσιν ἕνα. Recte adnotat Zeller ad hunc Antisthenis locum cynicos multis deis

negatis unum modo revera esse docuisse.[1]) Etiam Menippo deos ancipites irrisioni fuisse non est ignotum; in Icar. 27 *Ἄττης* et *Σαβάζιος* ut dei ancipites expresse commemorantur iidem, quorum etiam in Deor. Conc. 9 praeter alios mentio fit.

Ex hac in deos contemptione, qua in omnes quoque eas res quae cum deis erant coniunctae uti Momum necesse erat, sequitur, ut etiam oracula apud homines nihil valuerint. In Deor. Conc. 12 Apollinem non amplius celebrari explicat Momus, quin etiam *πᾶς λίθος καὶ πᾶς βωμὸς χρησμῳδεῖ, ὃς ἂν ἐλαίῳ περιχυθῇ καὶ στεφάνους ἔχῃ καὶ γόητος ἀνδρὸς εὐπορήσῃ, οἷοι πολλοί εἰσιν.* Hoc modo cum oracula falsa, quae quin evenirent fieri non poterat, Apollini tribuerentur, eiusdem dei ars praesentiendi addubitabatur et irridebatur. Etiam in Varronis satura Apollinis artem in ludibrium vocatam fuisse docet eiusdem saturae prior titulus Pseudolus Apollo; itaque apud Varronem Apollinis irrisionem fuisse argumentum saturae praecipuum optimo iure conicimus. Apud Menippum ludibrium oraculorum auctorisque eorum pari modo fusius explicatum fuisse, adhuc conici, non demonstrari potest. Quamquam quod Apollinis ars et apud Varronem et in Luciani satura castigatur, communem tamquam fontem exstare arbitror. Menippum quoque in scurrilibus de oraculis iocis esse versatum ex tertio dialogo mortuorum cernitur, ubi Menippus Amphilochum et Trophonium propter artem divinandi simulatam illudit. Mirum quod

---

[1]) II, 1[4], 328 sq.: *Die Kyniker . . . . stehen in religiösen Dingen durchaus auf Seiten der Aufklärung. Das Dasein einer Gottheit wollen sie nicht bestreiten, und ihr Weiser kann derselben auch nicht entbehren; aber an der Vielheit und Menschenähnlichkeit der Götter nehmen sie Anstoss: diese Volksgötter, sagen sie, stammen nur aus dem Herkommen; in Wahrheit gebe es nur einen Gott, der nichts Sichtbarem gleiche und in keinem Bilde dargestellt werden könne.*



etiam in Deor. Conc. 12 iidem appellantur et ut homines mentientes atque praestigiis fallentes vituperantur.

Videmus igitur similitudines inter Varronem et Lucianum, quod argumentum attinet, esse magnas. Perbene accidit, quod etiam descriptio in dicendo libertatis, quam Momus a Jove petit (2), persimilis est moribus Menippi liberis, qui ex Dialogis Mortuorum cernuntur. Deinde etiam habenda est ratio ironiae subtilis et aucti saturae generis, quod in Deorum Concilio invenitur, ubi Jupiter ipse Momo concedit, ut verbis propriis eloquatur, libertatem in dicendo profiteatur, nihil dubitet dicere; hac re dubium non est, quin philosophiam cynicam probare atque collaudare Luciano in animo fuerit; etenim philosophia quaedam, cui ut in suis rebus operam navaret dei ipsi favebant, ut esset improbanda fieri non poterat. Jovem Momo dicendi libertatem dare iam apud Menippum scriptum fuerit, nam Lucianum, quem nulli philosophiae disciplinae praeter ceteras maxime favisse constat, hanc rem ipsum excogitasse non habemus cur credamus.

Ex eis quae disserui Luciani Deorum Concilium Menippo addicendum esse apparet.

Huius rei num certiora indicia exstent, dialogis Jupiter confutatus et Jupiter tragoedus adhibitis explorare volo. Recte iam Boldermann[1]) scribit: *At Menippus satiricus fortasse partem Deorum Contionis sibi vindicare potest, quia noster dialogus cum duobus aliis, qui cynicam doctrinam spirant, coniunctus esse videtur.*

Primum quod attinet compositiones huius utriusque dialogi (Jovis Conf. et Trag.), utrique formam dialogi Menippei esse negari non potest. Id ex eo intellegitur, quod in utraque satura permultae parodiae inveniuntur; id maxime cernitur in Jove Tragoedo, qui dialogus prosam orationem multis versibus immixtam praebet;

---

[1]) *Studia Lucianea* 1893 p. 79.

pariter atque Necyomantia a sermone poetico orditur, quo fit, ut ratio saturae Menippeae sit aperta.

Si argumenta Deorum Concilii, Jovis Confutati, Jovis Tragoedi excutimus, consilium auctoris in omnibus dialogis idem esse cognoscimus; omnes enim Jovem omnesque ceteros deos omnium risui tradere sibi proposuerant. Quantopere hae saturae inter se coniunctae sint, ex eo cognoscitur, quod ne una quidem sententiarum gravissimarum in uno dialogo invenitur; quarum quaedam etiamsi non in unaquaque saturarum trium legitur, tamen in duabus earum, semper in Jove Tragoedo exstat.

Ut id quod ex trium saturarum comparatione sequitur praemittam:

Deorum Concilium et Jupiter Confutatus in Menippeo archetypo erant una satura; haec quae fuerit nescimus. Jupiter Tragoedus Luciano soli tribuendus est.

Argumentum Deorum Concilii, in quo dialogo de deis ancipitibus disputatur, cum cynicae tum Menippeae rationi respondere supra dictum est; id iam in Menippea satura fuisse scriptum Varronis satura Pseudolus Apollo ἢ περὶ θεῶν διαγνώσεως docet.

In Jove Confutato Cyniscum vere cynicum cum Jove colloquentem videmus. Hic cum omnipotentiam fati, cui etiam dei sunt subiecti, defendat, Cyniscus hanc sententiam esse falsam et stultam Jovi persuadere studet. Cyniscus fatum non solum ut religioni vulgari obstans repudiat, sed etiam revera esse negat (c. 18/9). In eo tamen id est respiciendum Cyniscum usque ad finem fere dialogi dominationem fati quasi revera exstantem satiricum in modum probat. Regiminis Fortunae, quod in Deor. Concil. 13 breviter commemoratur, fusius mentio fit in Jove Conf. 1—12. Convenienter et in Deor. Conc. (l. c.) et in Jove Conf. 5 sacrificia utilitatem non praebere commemoratur, si quidem omnia nutu et arbitrio Fortunae agantur. Regnum Fortunae apud Menippum quoque irrisorem non desiderari Nec. 16 nos docet, quo loco



Menippus vitam hominum cum pompa, cuius singula Fortuna administret, comparat. Quod ex eo sequitur, nempe Fortunam earum quas homines gerunt rerum primam causam esse neque homines — sive bene sive male agunt — puniri aequum esse scriptum videmus in Jove Conf. 18 et in Dial. Mort. 30; item in Dial. Mort. 19 plane pronuntiatur, si fatum sit, alteram vim non esse. Quod exeunte Deorum Concilio rationem Parcarum et Fortunae irridere atque refutare studet Cyniscus etiam Menippum irrisorem Fortunam revera regnare arbitratum esse reiciendum est; etiamsi in Dial. Mort. 19 et 30 Fortunae dominationem Menippus agnoscere videtur, id eo tantum fit, ut Menippus iudicia inferorum in ludibrium vertat. Etiam cynicum Gadarensem Fortunam omnia regere negavisse, felici casu nobis copia est facta cognoscendi. Oenomaus enim cynicus aequalis fere Luciani dialogum qui γοήτων φώρα inscribitur composuit, quod opusculum ut componeret Oenomaum Menippi saturis adductum esse verisimile est.

De ratione, quae intercedit inter Lucianum et Oenomaum, disputavit Bruns.[1]) Et Luciani Jovem Confutatum et Oenomai saturam hausta esse ex libris, qui Fatum et deos irrident, et imitationes esse scriptorum quorundam aetatis Menippi ille doctissimus existimat. Bruns de Luciani Jove Confutato disserens quod omnes huius dialogi scenae (i. e. Szenerie) desunt vituperat; ex eo quod cynicus quidam partes loquendi agat, dialogum de quo agitur a cynico auctore esse repetitum censet Bruns.[2])

---

[1]) *Mus. Rhen.* 43, 374 sqq.

[2]) p. 382: *Wie erklärt sich nun dies bei Lucian sonst so ungewohnte Fehlen der Szenerie, die dürftige Dialogisierung, der zufolge der Kyniker der allein massgebende Sprecher ist, und weshalb ist der Sprecher Kyniker und nicht Epikureer, da er sich doch auf eine, wie er behauptet,*

Quae igitur ratio intercedat inter Lucianum et Oenomaum, explicemus. Ut Lucianus Jove Confutato exeunte regnum Fati irridet (c. 19) et Necessitatem dominantem facit (c. 18), sic etiam ex fragmentis Oenomai intellegitur huic auctori Fatum lacerare liberamque esse voluntatem docere in animo fuisse. In quo Oenomai opusculo omnia fere argumenta, quae etiam in Luciani Jove Confutato leguntur, inveniuntur. Si ars futura pronuntiandi a Fato quodam, quod flecti non potest, pendet, Apollo non sua sponte suoque arbitrio, sed a Necessitate coactus canit: *Ὁ δὲ Ἀπόλλων . . . . ὁ τοῦ Διὸς υἱὸς νυνὶ βούλεται, οὐχ ὅτι βούλεται, ἀλλ᾽ὅτι ὑπ᾽ἀνάγκης εἰς τὸ βουληθῆναι τέτακται.*[1] Eodem modo apud Lucianum (c. 12) oracula et vaticinationes esse inutilia, cum revera omnium rectrix sit Fortuna, scriptum videmus; exeunte capite 14 Cyniscus *ὥστε*, inquit, *καὶ ἡ μαντικὴ ὑμῶν ἐκείνης* (sc. *τῆς εἱμαρμένης*) *ἔργον ἐστίν.*

Sub finem eiusdem fragmenti regnum Fati revera esse satiricum in modum Oenomaus simulat; in ea ipsa parte inveniuntur inter Oenomaum et Lucianum multa similia, quorum maxima, quamquam altera fusius, altera angustius commemoravit Bruns, afferre volo:

---

*Epikureische Ansicht (p. 380. 381) beruft? Unzweifelhaft deshalb, weil Lucian die Anregung einer cynischen Schrift verdankte, die gelegentlich auch die Epikureer zustimmend heranzog.*

*Ich kann nun zwar diese kynische Vorlage nicht mit Sicherheit namhaft machen, wohl aber liegt in dem letzten Fragmente des Önomaus eine dieser so ähnliche Bestreitung des Fatums vor, dass wir kaum irgend wo unserem Satiriker so gut in die Karten sehen können.*

[1]) Mullach, *fragm. philos. gr.* II. 380.



| Oenom.: | Lucian: |
|---|---|
| *οὐ δίκαια ποιεῖς, ὦ Ἄπολλον, οὐδ᾽ ὀρθῶς ἐπιτιμᾷς τοῖς οὐδὲν ἀδικοῦσιν ἡμῖν. Ὁ δὲ Ζεὺς οὗτος . . . . τί ἡμᾶς γίνυται;*[1]) | *οὐδένα τοίνυν, ὦ Ζεῦ, οὔτε τιμᾶν οὔτε κολάζειν . . . . προσήκει.*[2]) |

Omnia ita ut Fortunae placet fiunt; nos vero ipsi prae hoc ordine nihil valemus.

| | |
|---|---|
| *ἡμεῖς δὲ πρὸς τοῦτον* (sc. *τὸν εἱρμὸν*) *οὐδέν ἐσμεν.*[1]) | *οὐδὲν ἑκόντες οἱ ἄνθρωποι ποιοῦμεν.*[2]) |

*Te semper anteit saeva Necessitas.*[3])

| | |
|---|---|
| *Ἀλλ᾽ οὐ σπεύδομεν, ὦ Ἄπολλον, ἀλλ᾽ ἐλαυνόμεθα, οὐδὲ ἀτασθαλίαις, ἀλλὰ τῇ ὑμετέρᾳ ἀνάγκῃ.*[1]) | *ἀλλά τινι ἀνάγκῃ ἀφύκτῳ κεκελευσμένοι.*[2]) |

Praeter has quae ad argumentum pertinent similitudines etiam aliae minoris momenti, quas Bruns p. 386 affert, exstant. Nobis existimandum est vel scriptorum alterum usum esse altero vel utrumque ex communi fonte hausisse.

Cum igitur Oenomaus Hadriano regnante floruerit,[4]) Lucianus Jovem Confutatum circa annum 165 composuerit,[5]) Lucianum Oenomai scriptum legisse putari possit. Sed cum Lucianus, qui auctores quibus utitur nominatim afferre plerumque soleat, Oenomai nusquam mentionem faciat, eum Oenomai scriptum novisse eoque usum esse verisimile non est; quae cum ita sint, utrique auctori opusculum quoddam prioris aetatis ante oculos

---

[1]) Mullach 384.
[2]) c. 18.
[3]) Hor. carm. I, 35,17.
[4]) Syncellus p. 349 B.
[5]) Boldermann p. 132.

versatum esse videtur. Postquam Luciani Jovem Confutatum Menippeis sententiis esse imbutum et propter similitudines, quae huic dialogo sunt cum Varronis satura, ad Menippi saturam quandam esse revocandum vidimus, etiam Oenomaum Gadarensem Menippi popularis scripta inspexisse verisimile est. Cui sententiae accedit fides, si Varronianae saturae tituli *Pseudolus Apollo* rationem habemus, quo titulo impetum imprimis in Apollinem esse factum verisimile est. Id apud Oenomaum re vera ita esse ex fragmentis, quae nobis sunt tradita, cognoscimus, nam omnia Apollinem eiusque artem mordacissimis salibus lacerant. Etiam Bruns fontem Oenomai Menippeae aetatis esse censet.[1]

At redeamus ad Deorum Concilium et Jovem Confutatum. Quod exeunte Deorum Concilio (c. 17) legimus philosophis esse edicendum, ne nova fingere nomina velint neve nugas agere de his quae ignorent, sub finem cum Necyomantiae tum Icaromenippi idem nos legisse meminimus. Quod supra putavi Deorum Concilium et Jovem Confutatum ex una Menippi satura, quae deorum concilium, quod in Icaromenippo invenitur, planius fusiusque describebat, esse deprompta, etiam hac similitudine sententia mea fulcitur.

Deos esse hominum servos scriptum videmus in Jove Conf. 8; idem argumentum Varronis saturae fuisse

[1]) p. 382: *Trotz aller Berührungspunkte, welche die stoische und kynische Schule miteinander gemein haben, hat der echte Kynismus doch in bezug auf Polytheismus, Mantik und Fatum immer einen der Stoa feindlichen Standpunkt eingenommen. Wenn man die Äusserungen des Antisthenes und Diogenes, die Bernays (p. 30 sqq.) namhaft macht, erwägt, ist es nur wahrscheinlich, dass schon die ältere kynische Literatur, der Schriftenkreis des Menipp und Bio, Verspottungen dieser stoischen Vorstellungen enthielt.*



Popma putat hisce verbis[1]) usus: *An religionem Deorum Varro queritur neglectam? cum homines improbi Deos quasi servos excipiunt, et ad omnia, quae volunt et affectant, producunt. An sugillat ipsos Deos? quos constat certis hominibus ad libidinem suam designatis mutata forma occurrisse et, quo liberius flagitiis suis indulgerent, servisse etiam mercennariam servitutem: sicut Apollo flagrans amore Admeti regis, eius armenta pavit, nec agnitus fuit Deus.*

Etiam Menippum in saturis contra deos compositis hanc deorum cupiditatem mutatis formis hominibus appropinquandi, servitutem ipsam libidinis explendae causa serviendi irrisisse non habemus cur negemus. Huius sententiae verisimilitudo augetur, si Luciani Saturnales Epistulae, quae quin saturae Menippeae sint dubitari non potest,[2]) Luciani nonnullorum Dialogorum Deorum causa fuerunt;[3]) in his enim dialogis eiusmodi res iterum ac saepius omnium risui traduntur.

Videmus igitur Luciani Deorum Concilium et Jovem Confutatum cum cynicis tam Menippeis sententiis abundare. Boldermann,[4]) ut Deorum Concilium ex Menippo esse exscriptum putavit, sic etiam eodem loco Jovem Confutatum huic Cynico tribuit hisce verbis: *Inter opera . . . . . Luciani superest Jupiter Confutatus, ubi Cyniscus deorum potestatem prorsus nullam esse ostendit, quia, quae Fatum et Parcae voluerunt, tamquam apparitores perficiunt. Unde homines ignorantiae esse accusandos, si deos hostiis delinire pergant, concludit et, quod solum τὸ πεπρωμένον accidere possit, ne oraculorum vocibus aurem praebeant persuadet. Magna quoque Cynisco iniuria videtur, quod homines post mortem ob peccata plectantur, quippe quos Fatum ad facinora perpetranda coegisset. Quae ultima*

[1]) *Oehler, Varr. sat. Men. rel.* p. 199.

[2]) De scriptis Saturnalibus infra fusius agetur.

[3]) Fritzsche, *Menipp und Horaz* p. 11; Susemihl, *Gesch. d. Alex.* I, 45; Wieland III, 10 adn.

[4]) p. 79.

*sententia etiam in Dialog. Mort. 30 (i. e. in opere Menippeo) defensa verisimile reddit dialogum, ubi Cyniscus primas agit partes, ad Menippi exemplum esse compositum.*

Mea sententia est haec: Varronis satura *Pseudolus Apollo ἢ περὶ θεῶν διαγνώσεως* imitatio saturae cuiusdam Menippeae est; qua in satura Menippus deorum concilium quod sub finem Icaromenippi invenitur fusius descripserat; quam saturam Lucianus in *Deorum Concilio* et *Jove Confutato* imitatus est. Ad eiusdem Menippi saturae exemplum Oenomaus librum suum, qui *γοήτων φώρα* inscribitur composuit.

Si igitur Luciani Jovem Tragoedum cum Deorum Concilio et Jove Confutato in comparationem vocamus, primum rationes componendi valde sunt diversae; cum enim Deorum Concilium et Jupiter Confutatus omnibus scenis (i. e. Szenerie, Inszenierung) careant, in Jove Tragoedo haec res plane aliter se habet. Huius dialogi ratio Menippea parodiis permultis, quae in Deorum Concilio non sunt, in Jove Confutato perpaucae inveniuntur, maxime probatur. Quod ad argumentum Jovis Tragoedi attinet, nihil in hoc dialogo invenimus, quin iam in Deorum Concilio et in Jove Confutato fuerit. Si, quemadmodum Deorum Concilii et Jovis Confutati sententiae gravissimae in Jove Tragoedo repetantur, accuratius disquirimus, scenica modo ratione animos legentium in hoc dialogo movere Luciano in animo fuisse quin arbitremur facere non possumus. Id ex eo cognoscas, quod sententiae gravissimae ut in Deorum Concilio et in Jove Confutato accuratius et fusius exponuntur, sic in Jove Tragoedo brevius commemoratae speciem repetitionis praebent.

Id ut intellegamus, sententiarum ordinem, qualis Jovi Tragoedo est, perscrutemur.

Dialogus Jupiter Tragoedus divisus est in duas partes, quarum prior — res quae in caelo geruntur (1—34) — de Luciani Deorum Concilio admonet, altera, in qua Damis et Timocles inter se certant argumentum



Jovi Confutato simillimum habet. Ineunte Jove Tragoedo Jupiter tristis est, quod Timocles Stoicus et Damis Epicureus de Providentia disputarunt praesentibus quam plurimis et probatis hominibus, quod quidem vel maxime molestum ei fuit (1—4). Itaque Mercurium deos ad concilium convocare iubet (6). Cum Jupiter sedilia pro dignitate cuique praebere velit (7), magnus tumultus per deos de ordine inter se disputantes oritur (8—12). Silentio imperato (13) Jupiter surgit et orationem apud ceteros deos habet (15—18); ordiens ex disputatione Damidis et Timoclis deos providere hominibus negari (17) aegre fert; deos non esse, aut si sint, esse otiosos Damidem hominibus persuasisse; nec victimam nec munus nec honorem e terra deos percepturos esse et oblivione obrutos in caelo vexari fame, diebus illis festis et celebritatibus et sacrificiis et pervigiliis et pompis carentes, Jupiter admonet (18) Ceteris deis consultis Momus solus surgit (19); etiam ineunte Deorum Concilio, ubi Jupiter deos iubet non amplius mussare et dicere unumquemque quid sibi videatur, Momus solus partes respondentis agit.

Haec est Jovis Tragoedi expositio, qua plenior et perfectior haud scio an non inveniatur ulla. Vel ex eo, quod dei de sedendi ordine contendunt, huius dialogi compositionem scenis non carere cognosci potest.

Priusquam Momus loquendi initium facit, a Jove libertatem dicendi petit (19) hisce verbis: *ἐγὼ δέ, εἴ γέ μοι μετὰ παρρησίας δοθείη λέγειν, πολλὰ ἄν, ὦ Ζεῦ, εἰπεῖν ἔχοιμι.* Pari modo Momus etiam in Deor. Conc. 2: *ἀξιῶ δέ, ὦ Ζεῦ, μετὰ παρρησίας μοι δοῦναι λέγειν.* Momus Deorum Concilii cum, cur non alia nisi libera lingua loqui velit, fusius explicet, in Jove Tragoedo Momus eis modo verbis, quae supra legimus, Jovem orat. Iam ex eo intellegitur, quanto brevius Lucianus sermonem Jovis Tragoedi exponat.

In cap. 19 tantam in vita perturbationem rerum Momus vituperat: qui boni inter homines sint neglectos

in paupertate et morbis et servitute pereuntes; pessimos contra impurosque homines praelatos illis, divites ultra modum, imperantes melioribus etc. Sed cum hoc loco Momus in universum loquatur, Cyniscus in Jove Conf. 16/17 certa exempla memoriae prodita affert; etiam hic videmus Jovem Confutatum fusius, Jovem Tragoedum angustius esse absolutum.

In Jove Tragoedo (20) Momus brevissime falsa oracula irridet, id quod et in Deor. Conc. (12) commemoratum et in Jove Conf. (12—14) uberius est tractatum.

In Jovis Trag. eodem capite cum Momus, qui tenuem et miseram condicionem deorum esse causam hominum contemptionis explicet (*ὅτι καὶ ἐρῶμεν καὶ τιτρωσκόμεθα καὶ δεσμούμεθα καὶ δουλεύομεν καὶ στασιάζομεν καὶ μυρία ὅσα πράγματα ἔχομεν*), certa exempla nulla proferat, eandem rem in Jove Conf. (7. 8) pariter documentis allatis (*Ἥφαιστος χωλός, Προμηθεὺς ἀνεσκολοπίσθη κτλ.*) tractatam invenimus.

Aeque deorum subditiciorum, quorum irrisione in Deorum Concilio decem fere capita (4—11. 13) complentur, in Jove Tragoedo brevissime mentio fit: *μόνοι γάρ ἐσμεν καὶ οὐδεὶς ἄνθρωπος πάρεστι τῷ ξυλλόγῳ ἔξω Ἡρακλέους καὶ Διονύσου καὶ Γανυμήδους καὶ Ἀσκληπιοῦ τῶν παρεγγράπτων τούτων* (21); mirum quod hoc loco ei ipsi dei ut spurii afferuntur, quos ne vituperet neve in irrisionem aut dubitationem vocet, Jupiter a Momo in Deorum Concilio nominatim petit: Conferas cap. 6: *Μηδέν, ὦ Μῶμε, εἴπῃς μήτε Ἀσκληπιοῦ μήτε περὶ Ἡρακλέους*; c. 8: *Μηδὲν περὶ τοῦ Γανυμήδους, ὦ Μῶμε εἴπῃς*. Ex his similitudinibus quantopere Deorum Concilium et Jupiter Tragoedus inter se cohaereant, apertum est. Lucianus illos ipsos deos, qui iam in Deorum Concilio (i. e. in opere Menippeo) fuerunt, ea de causa in Jove Tragoedo iterum appellavisse et repetivisse videtur, quod putavit se Menippeum archetypum ita minus esse mutaturum. Huius loci repetitio manifestior est quam ut non faveat meae quidem sententiae.



Ineuntibus capp. 21 et 22 deos res humanas minime curare fortunaque omnia perfici Momus vituperat, deis nihil aliud esse cordi nisi victimis frui; idem iam in Jove Conf. c. 5 nos legisse recordamur.

Jovi interroganti (23) Neptunus suadet, ut Damidem de medio tollat; sed Jupiter nihil id in sua potestate esse, sed Parcas unicuique nere respondet (25); pari modo fatum regnare Jupiter etiam in cap. 32 fatetur: *αἱ Μοῖραι τὰ τοιαῦτα μόναι δύνανται, ἡμεῖς δὲ ἄκυροι αὐτῶν ἐσμεν.* Dominationem fati iam in Deor. Conc. 13 commemoratam in Jove Conf. 1—12 longius irrisam esse vidimus.

Timocli, qui ut ad intellegendi vim est acutissimus, sic prae imbecillitate in dicendo omnia corrumpit et aenigmatis similia profert (27), patronus eloquens ut adiungatur Apollo suadet (29); quo consilio irriso Apollo, quippe qui se vatem praedicet, artem ostendere et pronuntiare, uter sophistarum dicendo superaturus sit, a Momo iubetur (30). Postquam Apollo multis causis simulatis quominus id fieri posset recusavit, Momus satirice carnes agninas et testudinem, quae ut Apollinem tentaret olim Croesus coxerat,[1]) commemorat; eandem irrisionem legimus etiam in Jove Conf. 14.

Tandem Apollo oraculum canit (31), quo clarius et dilucidius nullum unquam praedictum esse Momus cum ironia explicat. Tum Hermagoras venit initium Timoclis Damidisque contentionis nuntians (33).

Primum Damis deos esse et omnia eorum providentia fieri pernegat (36); deos revera esse ex ordine naturae postquam Timocles conclusit (38), hunc ordinem esse vocandum Necessitatem Damis opponit, quam in opinionem etiam Cyniscus in Jove Conf. (18 et sub finem) venit.

Alterum argumentum proferens Timocles Homerum poetam affert, qui providentiam deorum defenderit (39);

---

[1]) Herod. I, 46—48.

etiam ineunte Jove Confutato a Cynisco Homerum testem invocatum esse vidimus.

Timocles postquam alias rationes argumentaque alia enumeravit, velut Euripidem, qui deos ipsos in scenam productos ostenderit (41), religionem popularem (42), oracula et praedictiones futurorum (43), Jovem tonantem affert, quasi ex tonitru Jovem exstare concludi possit (45); satiricum autem in modum Damis Jovem iam pridem mortuum esse respondet hisce vocibus: *οἵ γε ἐκ Κρήτης ἥκοντες ἄλλα ἡμῖν διηγοῦνται, τάφον τινὰ κεῖθι δείκνυσθαι καὶ στήλην ἐφεστάναι δηλοῦσαν ὡς οὐκέτι βροντήσειεν ἂν ὁ Ζεὺς πάλαι τεθνεώς.* Pariter etiam in Deor. Conc. 6 Momus sepulcrum in Creta Jovis commemorat.

Quibus Damidis verbis auditis cum Jupiter expallescat et dentes tremore collidat, Momus Jovem consolari studet cum dicit: *θαρρεῖν χρὴ καὶ τῶν τοιούτων ἀνθρωπίσκων καταφρονεῖν*; satirice infra pergit: *Ἀλλὰ σύ, ὦ Ζεῦ, ὁπόταν ἐθελήσῃς, σειρὴν χρυσείην καθεὶς ἅπαντας αὐτοὺς*

*αὐτῇ κεν γαίῃ ἐρύσαις αὐτῇ τε θαλάσσῃ.*

Hanc Homericam parodiam, qua iam Mercurius in cap. 14 usus est, invenimus etiam in Jove Conf. 4 et 8 atque priore loco eisdem verbis scriptam.

Tum Timocles mundum cum nave quadam comparat (46); ut enim navi gubernatore opus est, sic etiam hoc universum sine gubernatore et duce regi non potest. Comparationem vitae cum navigio legimus etiam in Jove Conf. 11. Qua comparatione Damis, ut miserias et perturbationes, quae inveniantur in terra, vituperet, inducitur (47); nam cum gubernator semper utilia cogitet, inutile autem aut irrationabile nihil habeat navis, terrae gubernator nihil ratione neque pro dignitate constituit. Eodem modo quo in Jove Conf. 16 certa rerum gestarum exempla afferuntur; utroque loco Socratis, Aristidis, Phocionis, Midae, Sardanapali mentio fit.

Comparatione navis neglecta postquam Timocles altaria attulit hisce verbis: *εἰ γὰρ εἰσὶ βωμοί, εἰσὶ καὶ θεοί· ἀλλὰ μὴν εἰσὶ βωμοί, εἰσὶν ἄρα καὶ θεοί. τί πρὸς ταῦτα φῄς;*



Damis, qui quin rideat facere non potest, Timoclis stultitia commotus discedit, ut Stoicus superior esse sibi videatur.

Ex his Jovem Tragoedum, novas sententias atque eas graves non afferentem, ea, quae iam in Deorum Concilio et Jove Confutato fuerant, cum undique tum in priore dialogi parte multo brevius pertractare vidimus. Mea quidem sententia negari non potest Lucianum in ea satura scenicae rationi imprimis favisse: id verum esse iam expositio quae duodecim capita tenet docet; tum deorum de ordine sedendi contentio, oraculum Apollinis, res quae agitur in duabus scenis et caelesti et humana, aliaque compositionem scenis non carere ostendunt, ut potius comicum, non Menippeum auctorem Luciano in hoc dialogo componendo ante oculos versatum esse arbitrer. Menippum huius dialogi fontem esse non posse etiam alia ratione fulcitur. Quod in Deorum Concilio Momus, qui cynicam Menippeamque speciem praebet, in Jove Confutato Cyniscus vere cynicus homo partes loquentium agunt, fontem cynicum aut Menippeum ante oculos versatum esse Luciano verisimile est; quodsi in Jove Tragoedo Stoicus et Epicureus inter se disceptant, huius dialogi cynicam aut Menippeam saturam esse archetypum nego; neque enim fieri potest, ut Menippus suas ipsas sententias cynicas philosophos aliarum disciplinarum, in his maxime Stoicos, pronuntiantes fecerit. Neque habeo, cur Lucianum alios philosophos nisi cynicos Menippeas aut cynicas sententias loquentes induxisse credam.

Quae cum ita sint, mea sententia est haec:

Deorum Concilii et Jovis Confutati compositionem scenis carere supra vidimus. His dialogis usus Lucianus unum, nempe Jovem Tragoedum, composuit.

## III.

Venio nunc ad Luciani scripta Saturnalia quae dicuntur. Hirzel [1]) cum ineunte aetate eruditorum Alexandrinorum litterarum studium latius manaret, etiam rationem studii mutatam esse docuit. In dialogi locum successit epistula, quae cum initio privato modo usui servivisset, postea in publicum usum veniebat. Menippum quoque epistulas scripsisse Hirzel mentionem facit.[2]) Tales igitur Menippi epistulas invenimus apud Diogenem Laertium [3]) commemoratas; Diogenes indicis Menippeorum scriptorum finem facit his verbis: *Ἐπιστολαὶ κεκομψευμέναι ἀπὸ τοῦ τῶν θεῶν προσώπου πρὸς τοὺς φυσικοὺς καὶ μαθηματικοὺς καὶ γραμματικοὺς καὶ γονὰς Ἐπικούρου καὶ τὰς θρησκευομένας ὑπ' αὐτῶν εἰκάδας καὶ ἄλλα.* Hirzel,[4]) qui coniungit voces *πρὸς τοὺς φυσικοὺς κτλ.* arte cum praecedentibus *ἀπὸ τοῦ τῶν θεῶν προσώπου*, deos misisse, *τοὺς φυσικοὺς κτλ.* accepisse has epistulas censet. Haec sententia quantopere sit nova et a vulgata opinione abhorreat, Hirzel ipse intellexit cum scribit, voces *πρὸς τοὺς φυσικοὺς κτλ.* titulos aliorum scriptorum putari solere;[5]) huiusce sententiae auctorem quem Hirzel affert Wachsmuthium [6]) ego quoque sequor, nisi quod non puto voces *πρ. τ. φ. κτλ.* titulos scriptorum quorundam esse, sed argumenta sola significare.[7])

---

[1]) I, 352 sqq.

[2]) I, 358: . . . . *ausserdem Menippus, der seinen Briefen Götter als Verfasser gab und damit in der epistolographischen Gattung denselben Übergang vom Historischen ins Mythische vollzog, den wir aus der dialogischen schon kennen.*

[3]) VI, 101.

[4]) I, 358 adn. 2.

[5]) l. c. *Gewöhnlich fasst man die Worte von πρὸς τοὺς φυσικοὺς an als Angaben über neue Schriftentitel.*

[6]) *Corpusc.* II, 81,2; I, 223 sqq.

[7]) Iam p. 31 huius dissertationis Luciani Icaromenippum esse eandem quam apud Diogenem Laertium vocibus *πρὸς τοὺς*



Inveniuntur igitur in Luciani scriptis quatuor epistulae, quarum in prima pauper quidam a Saturno [1]) petit, ut inaequalitatem, quae inter divites et pauperes intercedat, tollat divitibusque imperet, ne soli fruantur illis bonis, sed de tot rebus in omnes aliquid spargant. Secunda epistula Saturnus se pauperes adiuturum promittit addens pauperes in universum falli neque recte de divitibus sentire, etenim etiam divitibus de fortunis ipsis curas esse non parvas. Saturno, postquam tertia epistula cum divitibus, quae petiverant pauperes, communicavit, quarta epistula divites respondent se semper de sua copia indigentibus auxilium tulisse, tamen istos, qui paucis initio opus se habere dixissent, cum semel fores iis aperuissent, alia super alia petere non desiisse; si vero non omnia statim pauperes accepissent, iram et odium et maledicta in promptu fuisse; si isti recte agerent, se in nulla re quominus pauperibus auxilientur recusaturos esse.

Lucianum, cum apud eum tales deorum epistulas legamus, quippe quem Menippi quasi pedisequum esse constet, Menippi epistulas ante oculos habuisse quin putemus nihil obstat. Quod apud eum etiam epistulas ab hominibus ad deos missas invenimus, id nihil novi a Menippove alieni esse videtur. Cum epistulas in dialogorum locum succedere supra intellexerimus, epistulae nihil aliud sunt nisi dialogi litteris mandati, in quibus duo homines inter se colloquebantur, ut altera epistula alteram responsi loco excitaret. Itaque etiam Menippi epistulas et ad deos ab hominibus et ad homines a dis scriptas fuisse veri non dissimile est.

Luciani illis quatuor epistulis praemissum est pro-

---

*φυσικοὺς καὶ μαθηματικοὺς* significatam legimus saturam probare conatus sum.

[1]) De ratione, quae intercedit inter Cynicos et Saturnum, conferas: Dümmler, *Academica* p. 242 sq. Se philosophis favere Saturnus profitetur apud Julian. *Caesares* p. 317 B.

oemium ut ita dicam. Cuius in priore dialogo qui inscribitur *τὰ πρὸς Κρόνον* sacerdotem quendam cum Saturno colloquentem inducit Lucianus. Ille postquam insane et impudenter a Saturno divitias et aurum multum et potestatem et servos et argentum et ebur et reliqua quaecumque pretiosa sunt petivit frustra, ad Saturni personam irridendam transit. Saturni fabulam illudens sacerdos similis est Cynisci personae, quae in Luciani Jove Confutato versatur. In cap. 5 sacerdos ad Saturnum *Ἀλλ', ὦ Τιτάνων ἄριστε*, inquit, *τῶν μὲν τοιούτων οὐ δέομαι, σὺ δὲ ἀλλ' ἐκεῖνό μοι ἀπόκριναι.* Haec verba habent maximam similitudinem cum vocibus Cynisci, qui, cum ineunte Jove Confutato divitiis aut auro aut regno petendo Jovi molestus esse aspernetur, dicere pergit: *ἀπόκριναί μοι πρός τινα οὐ χαλεπὴν ἐρώτησιν.* Ut Cyniscus (1) suam sententiam documentis fulciendi causa Homeri et Hesiodi poemata affert, sic etiam sacerdos eosdem poetas inducit hisce verbis (5 fin.): *Κἀγὼ ταῦτα, ὦ Κρόνε, οὐ παρ' ἐμαυτοῦ φημι, ἀλλ' Ἡσίοδος καὶ Ὅμηρος . . . . ταῦτα πεπιστεύκασιν περὶ σοῦ.* Pariter homo pauper in prima Saturnali epistula (20) poetas affert.

Saturnus, cum ab irrisore in angustias quasi compulsus sit neque quid respondeat habeat, responsione neglecta colloquii minime iucundi finem facit admonens sacerdotem sibi tempus festi huius diei non parvum exemisse neque istam philosophandi rationem esse necessariam. Pari modo etiam Jupiter, ne pertubetur neve vincatur, exeuntibus Icaromenippo et Jove Confutato colloquium cum Cynisco irrisore habitum subito abrumpit.

Altera expositionis parte *Κρονοσόλων* inscripta Saturnus fert leges, quas dum ipse regnat observari vult.

Cum igitur Menippi epistularum nihil omnino exstet, Varronis [1]) minus sit servatum, quam ut quae ratio intercedat inter Lucianum et Menippum cognoscere possimus, restat, ut scriptis Saturnalibus rationem et cynicam et Menippeam inesse demonstrem.

[1]) Buecheler, *Mus. Rhen.* XIV p. 422; Wachsmuth, *Corpusc.* II, 82; Hirzel I, 455.



Ut omittam dialogi formam, quam cynicae rationi respondere apparet,[1]) et avaritia divitum [2]) et cupiditates pauperum nimis vanae divitias quam plurimas possidendi[3]) Menippeo modo irridentur. Stultitiae, cui homines dum vivunt dediti sunt, iam in primo dialogo mortuorum mentio fit, ubi Diogenes Pollucem in terra redeuntem Menippo nuntiare iubet, ut, si satis, quae super terram gerantur, deriserit, ad inferos veniat; pariter etiam in eiusdem dialogi cap. 3 vanitas divitum commemoratur; in cap. 4 Pollux a Diogene pauperibus dicere iubetur, ne lacrimas neve eiulatus edant idque videant, qui istic in vita sint divites, nihilo meliores fore, quam sententiam esse eandem in secunda epistula Saturnali supra vidimus.

Tum etiam comparationes cynici atque Menippei auctoris testes sunt. Saturn. 4 hominum vita comparatur cum navigio, quam comparationem antea iam saepe nos legisse meminimus[4]). Ineunte prima epistula Saturnali inaequalitas, quae est inter divites et pauperes, in comparationem vocatur cum tragico actore, qui altero pede alte calceatur, quales sunt cothurni tragici; alter vero eius pes discalceatus est. Si iam eo habitu ingreditur, necesse illi est, ut modo excelsus sit modo humilis, prout hoc vel illo pede procedit. Tantam esse in vita inaequalitatem; alios indutos cothurnis a fortuna suppeditatis tragico ceteros fastu conculcare; pauperes autem pedibus et humi ingrediantur, qui possint non deterius illis agere et gradum augere, si quis eos etiam similiter instruat; altera comparatio, quae ex scena tragica desumpta est, in secunda epistula (28) legitur, ubi condicio divitum com-

[1]) Hirzel II, 325 sqq.
[2]) Saturn. c. 8. 9. Cronos. 11.
[3]) Saturn. 1.
[4]) Jup. Conf. 11; Jup. Trag. 46.

paratur cum tragicis vestibus; ut enim, quod externum sit, aurum sit, sic divitum interiora esse similia vestibus consutilibus, de pannis plane vilibus consarcinatis. Etiam eiusmodi comparationes in scriptis Menippeis supra tractatis nonnullae exstiterunt.[1])

Ut Menippus in Icaromenippo et in ea satura, ex qua fluxerunt Jupiter Confutatus et Deorum Concilium, in scurrilibus de deis iocis versatur, sic etiam in scriptis Saturnalibus[2]) Jupiter, quippe qui bona et mala iniuste in terra distribuat, vituperatur; eundem a Parcis pendere in Cronos. 11 satiricum in modum commemoratur.

Videmus igitur scripta Saturnalia et cynicis et Menippeis sententiis esse completa, quo fit, ut Luciano Menippi epistulas ex deorum persona compositas, quas affert Diogenes Laertius, ante oculos esse versatas verisimile sit.[3])

Quae in Menippi epistulis scripta fuerint et quantopere eas Lucianus imitatus sit, cum illarum omnino nihil exstet, disserendi copia deest. Id modo certum est, Menippi epistularum argumenta plane alia fuisse atque apud Lucianum, qui Romanas res in eis pertractavit.[4])

[1]) Nec. 16; Icar. 29; Pisc. 32; Navig. 46.

[2]) c. 3, 11, 19.

[3]) Oehler p. 34; Croiset p. 60; Fritzsche, *Menipp und Horaz* p. 11; Wildenow p. 23. 25; Boldermann p. 82/3; Helm p. 364.

[4]) Menippeas epistulas Luciano nonnullorum Dialogorum Deorum compositionis exemplum fuisse multi viri eruditissimi putaverunt; cf. F. Fritzsche, spez. IV, p. 8; Th. Fritzsche, *Menipp und Horaz,* p. 11; Susemihl I, 45; Wachsmuth II, 82. Id etiam Wieland (III, 10 adn.) arbitrari videtur cum scribit: *Und eben diese Menschlichkeit der Götter, mit allen Leidenschaften, Torheiten und Schwachheiten, die der menschlichen Natur ankleben, ist es, was Lukian in allen seinen Göttergesprächen — mit aller möglichen Bonhommie und Fröhlichkeit des Herzens lächerlich macht.* Contra hanc sententiam cf. Hirzel, II, 295, 1; Helm p. 364. Equidem hanc quaestionem in medio relinquo.



# IV.

Praeter epistulas etiam convivia Menippea aetate in litteris maxime florebant.[1]) Conviviorum fere ea fuit ratio, ut homines plures de materia quadam proposita familiariter inter convivium disputarent et quasi fabulam agerent. Non solum philosophis haec convivia erant grata, sed etiam principes, in his maxime diadochi qui dicuntur philosophos et viros eruditos ad cenam vocabant et disputare cogebant.[2]) Paulatim autem in partes disputationum diligentium subierunt altercandi et rixandi cupiditas atque luxuria.

Ita factum est, ut talium conviviorum descriptiones iocum et serium coniungendi maximam facultatem praeberent. In eis componendis Cynicis, quorum *σπουδογέλοιον* tractare erat, magna irridendi copia erat data.

Ipsorum ex disciplina duarum convivii descriptionum, quarum auctores appellantur Menippus et Meleager, fragmenta quaedam ad nos venerunt. In his ioci plurimum fuisse Meleagri Convivii fragmentum, quod Athenaeus[3]) servavit, unum docet; hoc loco postquam moris propinandi mentio facta est, Athenaeus rem in maius tollens pergit hisce verbis: *καὶ Μελέαγρος δ' ὁ κυνικὸς ἐν τῷ Συμποσίῳ οὑτωσὶ γράφει· κἀν τοσούτῳ πρόποσιν αὐτῷ βαρεῖαν διέδωκε, χυτρίδια βαθέα δώδεκα.* Meleagrum, quem primo a. Chr. n. saeculo floruisse[4]) constat, Menippi imitatorem fuisse ex Diogene Laertio[5]) comperimus, quo loco Wildenowium[6]) secutus lego: *τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ* (i. e. Menippi) *πολλοῦ καταγέλωτος γέμει καὶ ἴσον τοῖς τοῦ Μελεάγρου τοῦ ἀπ'*

[1]) Hirzel I, 359 sqq.

[2]) Diog. Laert. II, 73, 111.

[3]) XI, 502 c.

[4]) Jacobs, *Anthol.* VI, p. XXXVI sqq.

[5]) VI, 99.

[6]) p. 4.

*αὐτοῦ γενομένου*, et Menippi aemulum ipse se praedicat in epigrammatis duobus quae leguntur in anthologia Palatina.[1])

Quae cum ita sint, Meleagrum in satura sua cui *Συμπόσιον* inscripsit Menippi Convivium imitatum esse verisimile est.

Fati autem invidia factum est, ut Menippi Convivii paene nihil sit relictum; eiusdem saturae praeter titulum, quem Diogenes Laertius affert, unum modo fragmentum exstat apud Athenaeum,[2]) ubi hic, postquam de arte saltandi egit, compluribus saltationibus allatis ita pergit: *καλεῖται δέ τις καὶ ἄλλη ὄρχησις κόσμου ἐκπύρωσις, ἧς μνημονεύει Μένιππος ὁ κυνικὸς ἐν τῷ Συμποσίῳ.* Hoc loco quid sibi vult *κόσμου ἐκπύρωσις*? Menippus quin cum de Heracliti Ephesii tum de Stoicorum doctrina in scurrilibus iocis versetur, dubium non est. Etenim et Heraclitus[3]) et Stoici[4]) mundum in ignem sescenties solvi docuerunt; stato quodam temporum ambitu deum omnem substantiam in se ipsam consumere eamque rursus ex se ipsa gignere, ita ut omnia exustione mundi conflagrare iubeat et ex hac exustione mundum denuo fingat; hanc mundi exustionem et restitutionem, quippe quae sescenties pari atque simili modo repetantur, traduxisse videtur Menippus satiricus in aequabiles et repetitos motus saltandi, ut ex illa ratione mundi igne modo intereuntis modo orientis

[1]) 417, 3. 4:

*Εὐκράτεω δ' ἔβλαστον ὁ σὺν Μούσαις Μελέαγρος*
*πρῶτα Μενιππείαις συντροχάσας Χάρισιν.*

418, 5. 6.

*Μοῦσαι δ' εἶν ὀλίγοις με, τὸν Εὐκράτεω Μελέαγρον*
*παῖδα Μενιππείαις ἠγλάϊσαν Χάρισιν.*

cf. Wachsmuth, *Corp.* II, 84 adn. 2.

[2]) XIV, 629 e.

[3]) Diog. L. IX, 7; Aristot. Phys. III. 5, 205 a 3. Luc. *Βιῶν πρᾶσις* 14.

[4]) Diog. L. VII. 137; Stob. Ecl. I, 538.



saltationem quandam *κόσμου ἐκπύρωσιν* appellaret. Ex hoc uno fragmento Menippum in hac satura *Συμπόσιον* inscripta cum alios philosophos tum Stoicos cavillatum esse apparet.[1])

Alterum fragmentum, quod cum convivio similitudinem habet, tradit Athenaeus alio loco;[2]) diversa nomina apud Spartiatas, Dores, ceteros Graecos secundae mensae commemorans scribit Athenaeus has voces: *Μόλπις δ' ὁ Λάκων τὰ παρὰ τοῖς Σπαρτιάταις ἐπαίκλεια, ⟨ἃ⟩ σημαίνει τὰς ἐπιδειπνίδας, ματτύας φησὶ λέγεσθαι παρὰ τοῖς ἄλλοις. Ὁ δὲ κυνικὸς Μένιππος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἀρκεσιλάῳ γράφει οὕτως· 'πότος ἦν ἐπικωμασάντων τινῶν καὶ ματτύην ἐκέλευσεν εἰσφέρειν Λάκαιναν[3]) τις· καὶ εὐθέως περιεφέρετο περδίκεια ὀλίγα καὶ χήνεια ὀπτὰ καὶ τρύφη πλακούντων.' τὸ δὲ τοιοῦτον δεῖπνον οἱ μὲν Ἀττικοὶ προσηγόρευον ἐπιδόρπισμα, οἱ δὲ Δωριεῖς ἐπάικλον, τῶν δ' ἄλλων Ἑλλήνων οἱ πλεῖστοι ἐπιδειπνίδα.* Opportune accidit, quod idem Arcesilaus, Menippo fere aequalis, apud Diogenem Laertium[4]) et alter Aristippus et epularum luxuriosarum amantissimus[5]) appellatur, qua ex re sequitur, ut Menippum in satura quae *Ἀρκεσίλαος* erat inscripta cum in cenas luxuriosas esse invectum tum Aristippi aut Arcesilai discipulos omnium risui tradidisse verisimile sit.

Tertium denique Menippi fragmentum, quod argumentum Convivio et Arcesilao simile habet, Athenaeus I, 32 e nobis servavit; hic postquam variis vinorum nominibus enumeratis vini Myndii mentionem fecit, ita pergit: *ὁ γοῦν κυνικὸς Μένιππος ἁλμοπότιν τὴν Μύνδον φησίν.*

[1]) Oehler p. 29; Fritzsche, *Menipp und Horaz*, p. 13; Wildenow p. 28.

[2]) XIV, 664 e.

[3]) Ita lego cum Kaibelio pro *Λάκαινα*.

[4]) IV, 40.

[5]) Apud Plut. *adv. Colot.* c. 26 narratur eum unum omnium in maxima aequalium admiratione ita versatum esse, ut ei ab Epicuro ipso invisum sit.

Verba *ἁλμοπότιν γὴν Μένδον* poeticam prae se ferre speciem primus Wachsmuth[1]) admonuit. Librum, ex quo hoc fragmentum est petitum, Athenaeus non tradidit; in quo cum de voluptatibus vini et epularum Menippum verba fecisse appareat, non aberrabimus, si hoc fragmentum in libro qui *Ἀρκεσίλαος* inscribitur ponemus, qua in satura Menippum conviviorum luxuriam castigasse supra statuimus. Aliter sentit Oehler,[2]) qui hoc fragmentum Menippi Convivio tribui mavult; quibus tamen rationibus ductus id iudicium tulerit, valde dolendum est, quod omnino non exposuit.

Quod Menippi Convivii argumentum fuerit, nesciremus, nisi exspectaret nos Menippi sermonis aemulus Lucianus, qui locupletior nobis testis est propterea, quod eiusdem *Συμπόσιον* est servatum nec mancum aut laceratum, sed totum et integrum in nostris manibus versatur. Eiusdem saturae vel alter titulus *Λαπίθαι*, quod sit argumentum huius libri nos certiores facit; etenim philosophorum cupiditatem rixandi et lacerandi in irrisionem vocare Luciano in animo fuisse qui legunt intellegunt. Hoc saturae genus vere esse Menippeum, ex locis supra allatis plurimis, qui in Dialogis Mortuorum, Necyomantia, Icaromenippo etc. inveniuntur, cognoscimus. Menippum in Convivio suo philosophos vehementer vituperasse ex fragmento ab Athenaeo allato, de quo supra dixi, apparet. Recte sentit Hirzel, Menippi Convivium, quod scriptum cynicum appelletur, revera dignum esse, praesertim cum philosophos inter se disceptantes in irrisionem vocare Cynicorum fuerit.[3])

[1]) *De Timone Phliasio* p. 43; Riese p. 11; Fritzsche spez. III, 7; Fritzsche, *Menipp und Horaz* p. 14.

[2]) p. 29 adn. 18.

[3]) II, 312 sq: *Und zwar ist es* (*sc.* Menippi Convivium) *eine Dichtung im Geiste der Kyniker. Dieselben hatten ein scharfes Auge auf den Streit der Philosophen sowohl untereinander wie jedes Einzelnen mit sich selbst in Theorie*



Pari modo quo in Nec. 4 philosophis, qui quamquam sunt homines eruditi tamen eo, quod se male gerunt, omnium risum movent, contrarii laudantur homines privati philosophandique imperiti hisce verbis (34): *οὐδὲν ὄφελος ἦν ἄρα ἐπίστασθαι τὰ μαθήματα, εἰ μή τις καὶ τὸν βίον ῥυθμίζοι πρὸς τὸ βέλτιον.*

Deinde etiam parodiae, quae sunt multae, Lucianum Menippi vestigia pressisse docent.

Quae cum ita sint, Lucianum ex Menippo hausisse puto.

Huc accedit quod mira quaedam similitudo intercedit inter Luciani Convivium et Hermotimi caput XI. In utroque libro convivium filiae convivatoris honoris causa paratur illo tantum discrimine interposito, quod in Convivio dies nuptiarum, in Herm. XI. dies natalis filiae celebratur. Et in Convivio et in Hermotimo Lycinus partes narrandi agit; utroque in libro mores Stoicorum cuiusdam mali pariter describuntur; conferas quaeso:

| Herm. 11. | Conviv. 11. |
|---|---|
| *ἅμα δὲ καὶ πεπώκει, οἶμαι, πλέον τοῦ ἱκανοῦ, τῶν παρόντων . . . . καὶ ἐδεδειπνήκει πλέον ἢ κατὰ γέροντα.* | *ἐμφορεῖται τῶν ὄψων καὶ ἀναπέπλησται ζωμοῦ τὸ ἱμάτιον.* |
| *παραλαβὼν τὰ κρέα, ὁπόσα τῷ παιδὶ κατόπιν ἑστῶτι παραδεδώκει . . . .* | *καὶ ὅσα τῷ παιδὶ κατόπιν λανθάνειν οἰόμενος τοὺς ἄλλους . . . .* |

Nihil addo; res enim est aperta et manifesta.

Praeterea etiam cupiditatem rixandi et disceptandi philosophorum in utraque satura similem in modum

*und Praxis. Und wie die Sokratiker sich der Symposien bedient hatten, um die Person des Sokrates noch weiter zu verklären, so konnte dieselbe Form der Literatur unter den Händen der Kyniker dazu dienen, um die Schwächen moderner Philosophen in ein recht grelles Licht zu setzen.*

lacerari ex eo intellegi potest, quod et in Convivio et in Hermotimo Stoicus cum aliis philosophis iurgio contendens inducitur. In Convivio Zenothemis Stoicus et Hermon Epicureus de vita privata inter se obiurgant; denique etiam gallinas, de quibus contendunt, sibi in faciem impingunt prehensisque invicem barbis auxiliaturos advocant (43); quorum altercationi etiam Cleodemus Peripateticus se interponere non aegre fert. Eodem modo etiam in Hermotimo Stoicus, qui multa in convivio disputavit, cum Euthydemo Peripatetico iratus rixatur de eis, in quibus illi solent contradicere Stoicis.

His similitudinibus, quas inter Luciani Convivium et Hermotimum (11) intercedere vidimus, iam Wieland ut adnotaret commotus est aut Convivium post Hermotimum compositum esse, ut quod hic angustius, illic fusius explicaret Lucianus, aut Hermotimo postea scripto Lucianum Convivii argumentum breviter repetivisse.[1])

Dialogus Hermotimus ut ad Menippum revocetur cum fieri non possit,[2]) tamen similitudines quae intercedunt inter Hermotimum et Convivium sunt maiores quam ut non cogamur quaerere, quomodo sint explicandae. Cum igitur Hermotimum ante Convivium compositum

---

[1]) V, 15 adn.: *Sonst erinnern sich die Leser, dass das ärgerliche Geschichtchen, das Lycinus hier dem ehrlichen Hermotimus von der pöbelhaften Aufführung seines hochwürdigen Meisters vom Stuhle erzählt, völlig wie ein summarischer Auszug des Hauptinhalts des Gastmahls oder der neuen Lapithen ist; es sei nun, dass er dieses letztere erst nach dem Hermotimus geschrieben habe, um aus dem, was hier eine blosse Skizze ist, ein ausgeführtes Gemälde zu machen, oder dass er, wenn Hermotimus später ist, die Lapithen seinen Lesern bei dieser Gelegenheit wieder ins Gedächtnis bringen wollte.*

[2]) Hirzel, II, 291; Philologus 1892 p. 284 sqq.



esse Boldermannum[1]) secutus putem, Lucianum in componendo Hermotimi capite XI. Menippi Convivii, quod ei iam erat notum, velut summam proposuisse, deinde autem ad Menippi exemplar suum Convivium composuisse existimo.

F. Fritzsche[2]) inter Convivii caput 38 (init.) et fragmentum supra allatum quod Athenaeus[3]) servavit similitudem quandam interesse censet. Sed inspiciantur et comparentur inter se loci:

| Athenaeus: | Lucianus: |
|---|---|
| *Πότος ἦν ἐπικωμασάντων τινῶν καὶ ματτύην ἐκέλευσεν εἰσφέρειν Λάκαινάν τις· καὶ εὐθέως περιεφέρετο περδίκεια ὀλίγα καὶ χήνεια ὀπτὰ καὶ τρύφη πλακούντων.* | *καὶ ἅμα εἰσεκεκόμιστο ἡμῖν τὸ ἐντελὲς ὀνομαζόμενον δεῖπνον, μία ὄρνις ἑκάστῳ καὶ κρέας ὑὸς καὶ λαγῷα καὶ ἰχθὺς ἐκ ταγήνου καὶ σησαμοῦντες καὶ ὅσα ἐντραγεῖν ....* |

Ad utrumque locum adnotat Fritzsche: *Quodsi forte Luciano haec scribenti ille Menippi locus obversatus est, duas hoc dialogo Menippi saturas videtur imitatus esse, maxime quidem saturam Menippi Συμπόσιον, tum etiam eiusdem Menippi Ἀρκεσίλαον.*

Quibus locis collatis quaenam, quaero, res sunt pares, cum mensae secundae modo mentio fiat neque ulla ciborum similitudo sit? Ex his duobus locis, qui mores plane volgares et usitatos describunt, Lucianum Menippi Ἀρκεσίλαον adhibuisse cum colligi non possit, cum Fritzschio facere non possum. Eodem modo Fritzsche alio loco[4]) Lucianum ex Meleagri Convivio hausisse censet hisce verbis: *Praeterea Lucianus aliam saturam videtur cognitam habuisse, Meleagri cynici Συμπόσιον, ap.*

---

[1]) p. 132 sq.; cf. etiam Schulze, *Bemerkungen zu Lucians philos. Schr.* Progr. Dessau 1891.

[2]) Ed. Luc. II, 2,118.

[3]) XIV, 664 e.

[4]) II. 2,87.

*Athenaeum XI. p. 502 C, quo loco ipsius convivii pars descripta est.* At ne huius quidem rei certa indicia esse arbitror.

Quaeramus, utrum Varronis saturis Menippeis allatis de Luciano Menippi imitatore certiora dici possint necne.

Compluribus locis Varro de rebus quibusdam quae ad convivium spectant verba facit. Testis est Gellius, qui Varronis saturam quandam Menippeam commemorat hisce verbis[1]): *Lepidissimus liber est M. Varronis ex saturis Menippeis, qui inscribitur „Nescio quid vesper serus vehat", in quo disserit de apto convivarum numero deque ipsius convivii habitu cultuque.* De talibus rebus Menippum scripsisse ex fragmentis quae supersunt intellegi non potest.

Alteram huiusmodi saturam quae Ὑδροκύων inscribitur Gellius[2]) affert; eiusdem saturae fragmentum superest hoc: *Non vides apud Mnesitheum scribi tria genera esse vini, nigrum, album, medium quod vocant κιρρόν, et novum, vetus, medium? et efficere nigrum viris, album urinam, medium πέψιν, novum refrigerare, vetus calefacere, medium esse prandium caninum?* Mnesithei verba leguntur servata apud Athenaeum,[3]) ubi scriptum videmus: Μνησίθεος δ' ὁ Ἀθηναῖός φησιν· ὁ μέλας οἶνός ἐστι θρεπτικώτατος, ὁ δὲ λευκὸς οὐρητικώτατος καὶ λεπτότατος, ὁ δὲ κιρρὸς ξηρὸς καὶ τῶν σιτίων πεπτικώτερος. Utroque igitur loco auctor affertur Mnesitheus quem brevi ante Menippum floruisse ex Athenaeo[4]) elucet, quo loco nomen Mnesithei legitur in Alexidis comici (Ol. 97—113) comoedia quadam. Mirum quod apud Varronem voces scurriles caninum prandium inveniuntur; haec mira verba non exstitisse apud Mnesitheum, cuius ut medici praecepta utilia dare erat, Knaack[5]) recte admonuit; is

1) XIII, 11, 1 sqq.
2) XIII, 31.
3) I, 32 d.
4) X, 419 c.
5) Hermes 18, 148 sqq.



quod caninum prandium cynico auctori i. e. Menippeo tribuendum esse censet, concedo. Sed rationes quibus commotus Knaack sentit iam Athenaeo, qui caninum prandium minime afferat, hunc medium fontem sc. Menippeum ante oculos versatum esse, leviores sunt, quam ut eius sententiam probent. Utrum Athenaeus Mnesitheo usus sit necne, nescimus; cynicum auctorem ab eo exscriptum esse non est cur statuamus. Sed Varronem cum fragmentum quod apud Gellium legimus tum verba *caninum prandium* ex Menippo, qui Mnesitheo usus esse videtur, deprompsisse verisimile est. Sed quo in libro Menippeo hic locus fuit? Knaack hoc fragmentum Varronianum ex Menippi Convivio repetit; mea quidem sententia res aliter se habet. Cum Menippi Arcesilaum in vini et epularum voluptatibus versari supra viderimus, equidem illud fragmentum ex Menippi Arcesilao esse depromptum arbitrari malo. Sed hac ex re quae ratio intercedat inter Convivia Menippi et Luciani non intellegitur.[1])

## V.

Maxima laus Cynicis atque eorum Diogeni in eo dialogo Menippeo qui *Διογένους πρᾶσις* inscribitur tributa esse videtur.[2]) Diogenis venditionem Eubulum et Cleomenem tractavisse Diogenes Laertius[3]) tradit; sed eos ea quae post venditionem gesta erant narravisse ex Diogenis Laertii verbis apparet. Venditionis ipsius descriptio

1) Etiam Varronis *Endymiones* (frg. 102/3 B), *Est modus matulae* (frg. 111/16 B) de bibendi moribus agunt.

2) Hirzel I, 389: *Ihren Gipfel scheint diese* (sc. menippeische) *Litteratur in der Darstellung des Ereignisses erreicht zu haben, das, wie es den Heiligen des neuen Kynismus scheinbar in der tiefsten Erniedrigung, so in Wahrheit in seinem hellsten Glanze zeigt, der Verkauf des Diogenes in die Sklaverei (Διογένους πρᾶσις).*

3) VI, 30; VI, 20; VI, 75.

Diogene Laertio teste[1]) Menippo tribuenda esse videtur. Iam multi viri eruditissimi inter se disceptaverunt, utrum Menippus *Διογένους πρᾶσιν* composuerit necne; de hac re cf. Rowe p. 8 adn. 8. Menippum talem saturam scripsisse equidem puto.

Comparemus quae Diogenes Laertius prodit cum Luciani libro qui *Βίων πρᾶσις* inscribitur.

Diog. L. VI, 29 sq.: *φησὶ δὲ Μένιππος ἐν τῇ Διογένους πράσει ὡς ἁλοὺς καὶ πωλούμενος ἠρωτήθη τί οἶδε ποιεῖν. ἀπεκρίνατο, „ἀνδρῶν ἄρχειν“*[2]) *καὶ πρὸς τὸν κήρυκα „κήρυσσε, ἔφη, εἴ τις ἐθέλει δεσπότην αὑτῷ πρίασθαι.*

Diog. L. VI, 30: *ἔλεγε τῷ Ξενιάδῃ τῷ πριαμένῳ αὐτόν, δεῖν πείθεσθαι αὐτῷ, εἰ καὶ δοῦλος εἴη.*[3])

Ex eis quae Diogenes attulit Menippus in hoc libro cum Diogenis continentiam, quam hic cynicus tum quoque prae se fert cum sub corona venit, collaudavisse videtur, tum quantopere Cynicorum philosophia, quae cupiditates vanas aspernatur, ceterorum philosophorum, qui nomen et habitum, non mores et integritatem prae se ferebant, superet, ostendere in animo habebat.[4])

Lucianus igitur scripsit dialogum qui *Βίων πρᾶσις* inscribitur, in quo singulorum philosophorum rationes vivendi irridentur eo quod philosophi publice veneunt, in quibus etiam Diogenis vita versatur. In hoc dialogo componendo Luciano auctorem quendam ante oculos ver-

---

1) VI, 29 sq.

2) Diog. L. VI, 74: Gell. II, 18, 9; Clemens Alex. *Paed.* III, 261 (Potter).

3) Diog. Laert. VI, 36; Arrian *Epict. diss.* IV, 1, 114.

4) Brevius complecti mihi videtur argumentum Hirzel cum scribit: *Menipp gefiel sich darin, ein Bild von Diogenes auf dem Sklavenmarkt zu geben, wie er mit kynischem Trotze zunächst dem Herold gegenübertritt und dann verschiedene Vorübergehende herausfordert, bis schliesslich Xeniades ihn kauft.*



satum esse negat Hirzel.[1]) Equidem cum eo facere non possum. Nonne Diogenis Laertii (VI, 30) locus, ubi Diogenes Xeniadi emptori suo dicit ipsum sibi, quamvis sit servus, obtemperaie oportere, congruit cum Luciani capite IX, ubi Diogenes emptori *τὰ δὲ χρήματα*, inquit, *ἢν ἔχῃς, ἐμοὶ πειθόμενος ἐς τὴν θάλατταν φέρων ἐμβαλεῖς?* Nonne id, quod Diogenes apud Diogenem Laertium[2]) praedicat scire se viris imperare, apud Lucianum a primo ad extremum — etiamsi multo iocosiore modo — tractatum est? Si Diogenes Laertius Menippi *Διογένους πράσεως* plures locos nobis servasset, plura Luciani dialogi similia quin inventuri simus equidem minime dubito. Luciani Vitarum Auctionem quatenus ad Diogenis venditionem pertinet imitationem esse Diogeneae Menippi venditionis, praesertim cum titulus ipse mirus tali sententiae faveat, equidem pro certo habeo. Recte adnotat F. Fritzsche[3]): *Denique ab Diogene L. VI, 2, 29 Μένιππος ἐν τῇ Διογένους* Πράσει *adfertur, quam saturam hic fortasse Lucianus partim imitatus est.* In hoc dialogo Lucianum Menippo usum esse sentit etiam Helm.[4]) Lucianum Diogenis venditionis exemplar etiam ceterorum vitas philosophorum quod veneuntes facit, id e suo finxisse et addidisse equidem concedo.

---

1) II, 304 sq.: *Nach einem Vorbilde aus älterer Zeit sucht man freilich vergeblich .... Möglicherweise genügten historische Nachrichten wie über den Verkauf des Platon und des Diogenes, um die Phantasie Lukians zu einer selbständigen Dichtung zu befruchten.* Confer etiam eiusdem adnot. I in II, 305.

2) VI, 29.

3) I, 2, 46.

4) p. 364: *Ebenso wahrscheinlich ist es, dass in der Vitarum Auctio der Verkauf des Diogenes (D. L. VI, 29) benutzt ist oder die Anregung gegeben hat.*

## Conclusio.

Quantopere Lucianus Menippi quasi pedisequus fuerit, Necyomantia, Icaromenippus, Deorum Concilium, Jupiter Confutatus ostenderunt. Sed etiam in ceteris quos pertractavi dialogis componendis Menippum ante Luciani oculos versatum esse vidimus. Nobis quaerentibus, quae Lucianus Menippo debeat, occurrit, scriptorem Samosatensem et argumenta i. e. derisionem deorum, philosophorum, divitum atque vitae privatorum hominum laudationem et imagines, comparationes, parodias, componendi rationem atque dispositionem ex Menippo deprompsisse, e suo multa, non multum addidisse. Videmus igitur Lucianum multo pressius quam adhuc et putatum Menippea scripta exscripsisse.

# Vita.

Natus sum Wilhelmus Knauer Erfordiae a. d. III. Kal. Sept. a. 1879 patre Gotthold et matre Friderica e gente Hagedorn, quem utrumque mihi ereptum lugeo.

Primis litterarum elementis imbutus frequentavi gymnasium Erfordiense, cuius directori Richardo Thiele et praeceptoribus, imprimis Ernesto Beermann, magnam habeo gratiam; unde a. 1900 maturitatis testimonium nanctus Lipsiam migravi, ut studiis philologicis et historicis operam darem. Ibi postquam ter sex menses fui, Halas me contuli, ut studia continuarem.

Docuerunt me viri illustrissimi:

Lipsienses: Brugmann, Heinze, Hirt, Immisch, Kaerst, Martini, Marx, Studniczka, Wachsmuth.

Halenses: Blass, Dittenberger, Droysen, Fries, Lindner, Ed. Meyer, Riehl, Schultze, Vaihinger, Wissowa.

Proseminarii philologici Lipsiensis per sex menses directore Immisch, seminarii philologici Halensis per duo semestria sodalis fui ordinarius directoribus Blass, Dittenberger, Wissowa. Ad exercitationes historicas me admisit per sex menses Kaerst Lipsiensis; seminarii historici Halensis per tria semestria sodalis fui directoribus Ed. Meyer et Lindner. Exercitationibus philologicis ut interessem benigne mihi permisit Immisch Lipsiensis, linguisticis Hirt, archaeologicis Studniczka.

Quibus viris omnibus optime de me meritis, imprimis Blass, Dittenberger, Wissowa maximas gratias debeo.